# Landesbibliothek Oldenburg

**Digitalisierung von Drucken**


## Henrici Johannis Bytemeisteri Delineatio Rei Numismaticæ Antiquæ Et Recentioris

**Bytemeister, Heinrich Johann**

**Argentorati, MDCCXLIV**


**VD18 10158766**

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18184**


Visual Library

Landesbibliothek Oldenburg

Geschicht. VI.
A. 2
22 a

Landesbibliothek Oldenburg

Gramberg M. 2. 4

Landesbibliothek Oldenburg

Landesbibliothek Oldenburg

HENRICI JOHANNIS
BYTEMEISTERI

# DELINEATIO
# REI
# NUMISMATICÆ

ANTIQUÆ ET RECENTIORIS

IN USUM PRÆLECTIONUM
ACADEMICARUM
EDITA.

---

*CUM INDICIBUS NECESSARIIS.*

---

*EDITIO III. CORRECTIOR.*

---

*ARGENTORATI,*
Typis Francisci le Roux, Univ. Typographi.

MDCCXLIV.

Landesbibliothek Oldenburg

Gesc
A

Landesbibliothek Oldenburg

EX BIBLIOTHECA
OLDENBURGENSI

Landesbibliothek Oldenburg

# PROLEGOMENA
## DE REI NUMISMATICÆ DEFINITIONE, EJUSDEMQUE UTILITATE, SCRIPTORIBUS PRÆCIPUIS, CIMELIARCHIIS EUROPÆ, PRÆCIPUE GERMANIÆ, ET TRACTATIONIS PARTIBUS.

§. I.

S*Cientia nummaria ſeu numiſmatica* continet *notitiam numiſmatum*, & *antiquorum*, & *recentiorum*, eademque ſecundum *originem ſuam* & *progreſſum*, *ætatem*, *nationes*, *materiam*, *magnitudinem*, *typos*, *raritatem*, *aliasque circumſtantias* conſiderat.

§. II.

Eſt autem hocce ſtudiorum genus non ſolum *jucundum* & *delectabile*, ſed etiam *eximie fructuoſum* & *utile*: *Philologiam*, *Hiſtoriam* omnem, *Chronologiam*, *Geographiam*, *Genealogiam*, *Ritus* & *Antiquitates*, imo & reliqua ſtudiorum genera, illuſtrans & dilucidans.

§. III.

*Præſtantiam* atque *utilitatem* ejusdem pluribus oſtendere, foret ſupervacaneum, cum idem abunde fecerint *auctores* egregium hocce argumentum præcipue tractantes,

I. BAUDELOT *de* DAIRVAL in tractatu *de uti-*

 *litate*

*litate itinerum*, Tomis II. Pariſiis 1693. d. gallice edito, quantum ſcientia nummaria in itineribus proſit explicans.

II. GISBERT. CUPERUS *Diſſertatione* ſingulari, juncta ejusdem Amſtelod. 1683 q. edito libo: Apotheoſis HOMERI, *utilitatem, quam principes ex numiſmatibus capere poſſunt*, evincens.

III. JOH. HEMELARIUS in *præfatione* ad *expoſitionem numiſmatum aureorum Romanorum, quæ* CAROLUS CROYUS, *Dux Arſchottanus, collegerat*, editam Antwerpiæ 1637. & ibidem 1654. q.

IV. VALENT. ERNST LOESCHER in *diſſertationibus: de uſu nummorum veterum in Theologia & explicatione S. Scripturæ*, Jenæ 1694. q. *de uſu rei nummariæ in ſacris antiquitatibus* Jenæ 1695. q. *de ejusdem uſu in hiſtoria eccleſiaſtica*, Jenæ 1695. q.

V. HENR. MEIBOMIUS *junior* in programmate *de nummorum veterum in illuſtranda Imperatorum Romanorum hiſtoria uſu*, Helmſtadii 1684. q. excuſo.

VI. CAR. PATINUS in *introductione ad hiſtoriam numiſmatum C. I. & II.*

VII. EZECH. SPANHEMIUS in *libro* ſuo *Diſſertationum de præſtantia & uſu numiſmatum antiquorum*, de quo conferatur §. 5.

§. IV.

Quod ad *auctores* attinet, qui diffundente ſeſe in orbe erudito rei nummariæ

riæ ſtudio, inde à Sec. XVI *rem numismaticam ſcriptis* erudite illuſtrarunt, ſummamque laudem ſuo ævo meruerunt, & vel introductiones, vel generaliores rei nummariæ explicationes, vel imagines nummorum, imprimis antiquiorum, illuſtratas ediderunt, (quorum haud parvus eſt numerus,) hic merito recenſendos, atque rei numiſmaticæ ſtudioſis ob ſcripta notatu & lectu digna commendandos exiſtimamus *ſcriptores* ſequentes, *ſerie alphabetica nominum diſpoſitos*, quorum

I. ANTON. AUGUSTINUS, Hiſpanus, *Dialogos XI. de numiſmatibus priſcis, eorumque inſcriptionibus & ſymbolis, aliisque antiquitatibus*, idiomate hiſpanico Tarraconæ 1587. f. edidit, poſtea italice cum figg. editos Romæ 1592. 1625. & 1648. f: latine vero redditos & auctos *dialogo XII de diis deabusque gentilium*, & *catalogo auctorum, qui de nummis ſcripſerunt*, exhibuit ANDR. SCHOTTUS Antwerpiæ 1617. & 1654. f.

II. BAUDELOT *de* DAIRVAL, Gallus, auctor *tractatus* gallici *de utilitate itinerum.* Vol. II. à Rouen 1727. d.

III. LAURENT. BEGERUS, Germanus, cujus laudatiſſimus eſt tum *Theſaurus gemmarum & numiſmatum ex theſauro Palatino ſelectus* Heidelbergæ 1685. f. tum *The-*



Landesbibliothek Oldenburg

*ſaurus gemmarum & numiſmatum Brandenburgicus ſelectus*, ejusque continuatio, voluminibus III. Coloniæ Marchicæ 1699. & 1700. f. excuſus.

IV. JOH. PETR. BELLORIUS, Italus, FRANCISCI ANGELONI *hiſtoriam Auguſtam* a JULIO CÆSARE *ad* CONSTANTINUM M. *ex nummis antiquis illuſtratam*, Romæ 1641. f. excuſam, *cum ſupplementis* edidit italice ibidem 1685. f. cum figg.

V. THOM. BRODERUS BIRCHERODIUS exhibuit *Specimen antiquæ rei monetariæ Danorum*, Hafniæ 1701. q. cum figg. æneis.

VI. ELIAS BRENNERUS, Suecus, *Theſaurum nummorum Sueo-Gothorum Libris II. comprehenſum* luci publicæ expoſuit Stockholmiæ 1691. & 1731. q.

VII. HUBERT. GOLTZIUS, Belga, cujus extant: *Icones Imperatorum Romanorum ex priſcis numiſmatibus ad vivum delineatæ*, Antwerpiæ 1557. f. auctior vero editio ſub titulo: *Series Imperatorum Romanorum* cura CASP. GEWARTII prodiit Antwerpiæ 1645. f. *Græciæ univerſæ, ejusque inſularum, & Aſiæ minoris numiſmata.* Brugis 1576. f. & cum LUDOV. NONII commentariis Antwerpiæ 1620. f.

VIII. ABRAH. GORLÆUS, Batavus, edidit *Theſaurum numismatum familiarum Romanarum usque ad obitum* AUGUSTI *Imp.* Delphis 1609. f.

IX. JOH.

IX. JOH. HARDUIN, Gallus, auctor libri *Nummi antiqui populorum & urbium*, Pariſiis 1684. q.

X. MATTHIAS HOSTUS, Germanus, cujus *Hiſtoria rei nummariæ* edita Francofurti o. & cum JOH. SELDENO de nummis, GUILH. BUDÆO de aſſe, & præfatione ADAMI RECHENBERGII junctim prodiit Amſtelodami 1695. q.

XI. JOBERTUS, Gallus, qui gallice bis edidit *Scientiam rei numiſmaticæ*, Pariſiis 1692. d. & ibidem 1616, d.

XII. ANDR. MORELLUS, Germanus, exhibuit *Specimen univerſæ rei nummariæ antiquæ*, Pariſiis 1683. o. recuſum Lipſiæ 1695. o. *cum tabulis XXVI. figg.*

XIII. LUDOV. NONIUS, Batavus, *Commentarios ad* HUBERTI GOLTZII *Græciæ numismata* ſcripſit, Antwerpiæ 1620. f. excuſos.

XIV. HENR. NORIS, Italus, cujus eximia ſunt *Cenotaphia Piſana* CAJI & LUCII *Cæſarum*, Venetiis 1681. f. & *Diſſertatio duplex de duobus nummis* DIOCLETIANI & LICINII, Patavii 1676. f.

§. V.

Porro commendandus

XV. ADOLPH. OCCO, Germanus, qui *Numiſmata Imperatorum Romanorum a* POMPEJO M. *ad* HERACLIUM *Imp.* deſcripſit, inſperſis commentariis, qui



Landesbibliothek Oldenburg

liber primum Antwerpiæ 1579. q. & auctior Auguſtæ Vindel. 1601. q. poſtea ſtudio FRANCISCI MEDIOBARBI iconibus & explicationibus auctior Mediolani 1683. & 1730. f. prodiit.

XVI. JAC OISELIUS, Germanus, auctor *Theſauri numiſmatum antiquorum ſelectorum*, Amſtelodami 1677. q. editi.

XVII. JOH. CHRISTOPH. OLEARIUS, Germanus. *ſpecimen univerſæ rei uummariæ ſcientifice tradendæ* Jenæ 1698. o. edidit.

XVIII. CAR. PATINUS, Gallus: cujus exſtant *Familiæ Romanæ in antiquis numismatibus ab U. C. ad tempora* D. AUGUSTI Pariſiis 1663. f. *Numiſmata Impp. Romm. ex ære mediæ & minimæ formæ*, Argentinæ 1671. f. *Hiſtoria numiſmatum, ſeu introductio ad hiſtoriam eorum* gallice ſcripta, & gallice bis edita Pariſiis 1665. d. & 1667. d. latina autem verſio novis acceſſionibus locupletata, Amſtelod. 1683. d. prodiit. *Theſaurus numiſmatum.* Amſtel. 1672. q. Conf. PATINI *hiſt. numiſm.* p. 213.

XIX. PAULUS PEDRUSI, Italus, qui Cæſares aureos, argenteos, & medalliones, in muſeo Farneſiano collectos, ſive FRANCISCI I. Parmæ Ducis, cum interpretatione Italica, evulgavit, cujus librorum tituli latine redditi ſunt.

*Cæſares*

*Cæſares in auro collecti in muſeo Farneſiano & publicati* Parmæ 1694. f. *Cæſares in argento* à JUL. CÆSARE *ad* HERACLIUM. Parmæ 1701. 1703. & 1704. f. III. Voll. *Cæſares in medallionibus* Parmæ 1709. f. *Cæſares in ære magno* à JUL. CÆSARE. Parmæ 1704. f.

XX. EUCHAR. GOTTLIEB RINCK, Germanus, in *tractatu de veteris numiſmatis potentia & qualitate* cognitionem rei nummariæ dedit ἀνωνύμως ALTORFI 1701. q. editam.

XXI. CHRIST. FRID. RUHE, Germanus, *Specimina II. Philologiæ numiſmatico-latinæ, è nummis Romanorum veterum imprimis in theſauro Arnſtadio - Schvvarzburgico obviis*, conſignavit, excuſa Francof. 1708. q.

XXII. LUDOV. SAVOT, Gallus, auctor eſt libri gallice editi, *Diſcurſus in IV. partes diviſus de nummis antiquis*, Paris. 1627. q.

XXIII. PETR. SEGUIN, Gallus, ex muſeo ſuo publicavit *Selecta numiſmata antiqua, obſervationibus illuſtrata*, Paris. 1665. q. recuſa ibidem 1684. q.

XXIV. EZECH. SPANHEMIUS, Germanus, hanc literarum partem exornavit libro *Diſſertationum de præſtantia & uſu numiſmatum* primum excuſo Romæ 1664, q. editio vero II. auctior & variis rariſ-

ſimorum numiſmatum iconibus locupletior prodiit Amſtelod. 1671. q. tandem editionis tertiæ Tomus I. Londini 1706 f. & Tomus II. Amſtelod. 1717. f. ex auctoris autographo editus, & numiſmatum iconibus illuſtratus ab ISAACO VERBURGIO.

XXV. JACOBI *de* STRADA, Itali, ex theſauro extant: *Imperatorum omnium Orientalium & Occidentalium imagines, ex antiquis numiſmatibus delineatæ, addita cujusque vitæ deſcriptione* Tiguri 1559. f. antea quoque prodierunt (ut ferunt) Lugduni 1553. cum figg. ligno inciſis. De ejusdem vero opere *MSC.* numismatico, *Libris VIII.* rariſſimorum nummorum delineationibus à C. JULIO CÆSARE ad MAXIMILIANUM II. Cæſarem *Tomis III.* refertis, quod in Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi aſſervatur, vid. PETRI LAMBECII *Commentariorum Libri IIX. de bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi Tomo I. p.* 77. & CAR. PATINI deſcriptio *Hiſtoriæ numiſm. p.* 176. *& ſeqq.*

XXVI. OCTAVIUS *de* STRADA, Italus, cujus extat *Opus de vitis Impp. & Cæſarum Romanorum, tam Occidentalium, quam Orientalium, nec non uxorum & liberorum eorum, item Tyrannorum*, Francof. 1615. & 1678.

f. ger-

f. germanica quoque verſio ejusdem prodiit ibidem 1618. f.

XXVII. BURCARD GOTTHELF STRUVIUS, Germanus, orbi erudito exhibuit *Bibliothecam numiſmatum antiquiorum*, Jenæ 1693. d.

XXVIII. JOSEPHI MARIÆ SUARESII *de numiſmatis & nummis antiquis diſſertatio* Amſt. 1683. d. prodiit.

XXIX. JOH. TRISTANUS de SAINT-AMANT, ſeu SANCT AMANTINUS, Gallus, hiſtoriam Imperatorum ex nummis explicavit in opere gallice edito: *Commentarii hiſtorici continentes hiſtoriam generalem Imperatorum, Auguſtarum, Cæſarum & tyrannorum Imperii Romani, cum nummis eorum*, Pariſiis 1635. 1645. & 1657. voluminibus III. f.

XXX. JOH. FOY VAILLANT, Gallus, illuſtravit *Numiſmata Impp. Romm. præſtantiora, à C. Julio Cæſare ad Poſtumum & tyrannos*, Tomis II. Pariſ. 1674. q. & ibid. 1699. q. *Numiſmata ærea Impp. Auguſtarum & Cæſarum in coloniis, municipiis & urbibus jure Latio donatis percuſſa*, Pariſ. 1695. f. *Numiſmata Impp. a populis græce loquentibus percuſſa*, Pariſ. 1698. q. *Nummos antiquos familiarum Romanarum*. Voll. II. Amſtelod. 1703. f. *Arſacidarum Imperium ſeu Regum Partho-*



Landesbibliothek Oldenburg

*rum hiſtoria ad fidem numiſmatum accomodata.* Pariſ. 1725. q.

XXXI. ÆNEAS VICUS, emiſit in lucem *Numiſmata XII. Imperatorum priorum,* Venetiis 1553. q. & ibidem 1554. q. *Imagines Auguſtarum, æneis formis expreſſas, cum vita & expoſitione,* ſermone Italico, Venetiis 1557. q. poſt latino quoque Venetiis 1558. q. *Commentaria in vetera Impp. Romm. Numiſmata,* Venetiis 1562. q. *Omnium Cæſarum imagines ex antiquis numiſmatibus deſumtas, addita vitæ deſcriptione, & numiſmatum averſæ partis delineatione.* Venetiis 1584. q. *Reliqua librorum* ÆN. VICI *ad Impp. hiſtoriam ex antiquis nummis pertinentium.* Venetiis 1601. q.

XXXII. FULVIUS URSINUS, Italus, edidit *Familias Romanorum in antiquis numiſmatibus,* inſertis typis, Romæ 1577. f. quas poſtea recognovit & auxit CAROL. PATINUS, Pariſiis 1663. f.

XXXIII. JACOBUS A WILDE, Batavus, *ſelecta numiſmata antiqua* ex muſeo ſuo explicavit, Amſtelod. 1692. q.

§. VI.

Ad *introductionem* autem *rei nummariæ* imprimis faciunt, uſuique eſſe poſſunt BAUDELOTI, JOBERTI, MORELLI, OLEARII, PATINI, RINCKII, SPANHEMII, & STRUVII libri & tractatus allegati.

§. VII.

## §. VII.

*Plures* vero *auctores*, *qui rem nummariam*, aut *ſpeciale nummorum genus*, aut *nummos ſingulares ſcriptis illuſtrarunt*, qui noſſe cupit, conferat ſcriptores, qui eosdem recenſuerunt:

I. ANSELM. BANDURIUM in *Bibliotheca nummaria, ſive auctorum, qui de re nummaria ſcripſerunt*, cum notulis & indicibus recuſa curante JO. ALB. FABRICIO. Hamburgi 1719. q.

II. FRANCISC. ERN. BRÜCKMANNUM in *bibliotheca numiſmatica*, edita Wolfenbüttelæ 1729. o.

III. RUDOLPH. CAPELLUM in *indice nummographorum*, juncto ejusdem *Nummophylacio Luederiauo*, edito Hamburgi 1678. f.

IV. ZACHAR. GOETZIUM in *diſſertationum XX. de nummis*, excuſarum Wittebergæ 1716. o. prima pag. 19. & ſeqq.

V. LÆVINUM HULSIUM in libro, *numiſmata Impp. Romm.* Francof. 1603. o. ex quo ſuum conſcripſit *catalogum autorum* ANDR. SCHOTTUS, ANTONII AUGUSTINI *dialogis* Antwerpiæ 1617. f. ab ipſo editis junctum.

VI. PHILIPPUM LABBE in *Bibliotheca nummaria*, quæ cum ejus *Bibliotheca bibliothecarum* aliquoties Pariſiis, Rothomagi, & Genevæ prodiit.

VII.

VII. JOH. CHRISTOPH. OLEARIUM in *Specimine univerſæ rei nummariæ* citato.
VIII. CAROL. PATINUM in *Introductione ad hiſtoriam numiſmatum Cap. XXIV. toto.*
IX. JOH. SELDENUM in *Bibliotheca nummaria, ſeu elencho autorum, qui de antiquis numiſmatibus* κ. τ. λ. *ſcripſerunt*, juncta ejus libro *de nummis*, Londini 1675. q. & Edimburgi 1685. q. edito.
X. BURC. GOTTH. STRUVIUM in *Bibliotheca numiſmatum antiquiorum Cap. I.* Sectione III. ——— XI.
XI. *Medicos ſpeciatim de re nummaria* ſcriptores claros, enumerat CHRISTOPH. ARNOLDI in *Epiſtola*, quam *Numiſmatibus magnæ Græciæ raris*, a PROSPERO PARISIO A. 1592. editis, ac Noribergæ curante JOH. GE. VOLCKHAMERO A. 1683. f. recuſis, præfixit. Conf. de iis, qui catalogos auctorum de numiſmatibus ſcripſerunt STRUVII *Biblioth. numiſm.* citata. *Cap. I. Sect. I.*

§. VIII.

De *nummophylaciis & cimeliarchiis*, (Germani appellant Müntz-Cabinet & Kunſt-Kammern,) *præcipuis Europæ*, imprimis *Germaniæ*, ſequentia exiſtimamus obſervanda:

I. In ANGLIA commemorandum *Regium Weſtmünſteranum* Londini, atque *Oxonienſe*.

II. In

II. In BELGIO, ubi publicum nullum, e privatis notandum Noviomagi *Smetianum*, de quo extant *Antiquitates Neomagenſes ſive notitia rerum antiquarum, quas in veteri oppido Batavorum ſtudioſe comparavit* JOH. SMETIUS, *P. & F.* Noviomagi 1673. q. & Amſtelodami *Wildianum*, cujus deſcriptionis titulus eſt: *Muſeum Wildianum ſeu ſelecta numiſmata antiqua e muſeo* JAC. de WILDE. Amſtelodami 1692. q.

III. In DANIA notabile Hafniæ *Regium* CHRISTIANI V. in *Muſeo Regio Danico, ab* OLIGER. JACOBÆO Hafniæ 1696. f. & cum *auctario* ibidem 1699. f. edito, *deſcriptum*. E privatis ibidem fuit *Theſaurus numiſmatum antiquorum* OTTONIS SPERLINGII, cujus auctio Hafniæ habita, & catalogus editus Hamburgi 1717. q. ſub rubro: *Theſaurus numismatum antiquorum* ab OTT. SRERLINGIO *relictus*.

IV. In GALLIA numophylacium *Regium* & numero & præſtantia nummorum excellit: laudari præterea ſolent nummophylacia Pariſienſium 1) *Jeſuitarum*, 2) *Canonicorum S. Genovefæ*, 3) *Ducis de Maine* Trevoltienſe. Conf. de numophylaciis Galliæ JOH. FOY VAILLANT præfatio *Numiſm. Impp. in coloniis percuſſorum*.

V. In

V. In HELVETIA laudatur *Baſileenſe* & *Bernenſe.*

VI. In ITALIA commendari ſolent *Romæ Farneſianum* & *Barberinium*, *Florentinum*, *Parmenſe* & plura alia.

VII. In SUECIA notanda collectio ELIÆ BRENNERI, cujus extat *Theſaurus nummorum Sueo-Gothorum, libris II. comprehenſus*, Stockholm. 1691. & 1731. q. editus.

§. IX.

In GERMANIA numophylacium præcipuum & excellentiſſimum laudatur I. *Imperiale* VIENNENSE, & II. *Regium* BEROLINENSE: memorandum vero porro III. *Electorale* DRESDENSE. *Ducale* IV. GOTHANUM, cui ARNSTADIANUM olim acceſſit: V. STUTGARDIANUM: VI. VINARIENSE: VII. WEISSENFELSENSE: VIII. CASSELLANUM. Conf. de cimeliarchiis nummariis CAR. PATINI *Hiſtoria numismatum Capite XXV.* & de auctoribus qui *catalogos nummophylaciorum* exhibuerunt B. G. STRUVIUS *Biblioth. numiſm. Cap. I. ſectione XI. pag.* 94. & *ſeqq.*

§. X.

Ceterum dum inſtitutum noſtrum eſt, per capita quædam in uſum auditorii ordine exponere *delineationem ſcientiæ numiſmaticæ & antiquæ & recentioris*, *Tractatio VII. capitibus abſolvetur*, quorum.

I. *de*

I. de *rei nummariæ origine & progreſſu, & ſpeciatim apud Romanos*, deque *nummis Impp. Romm. ex alto & baſſo Imperio.*

II. de nummorum *diviſione ratione* tum *ætatis, in antiqua, media, nova,* tum *nationum.*

III. de *nummorum Romanorum diviſione reſpectu materiæ, ſpeciatim æneorum, argenteorum, aureorum, diverſa magnitudine.*

IV. de nummis *conſideratis ratione nominum* diverſorum *ex aliquo accidenti* ortorum.

V. de nummorum *typis & inſcriptionibus in utroque latere diverſis*, nummorumque typo diverſorum *numero.*

VI. de nummorum *raritate* memorabilia.

VII. de *numiſmatibus* nonnullis *rarioribus & raritatis eximiæ* Auguſtæ *Domus Brunſvico-Luneburgenſis.*

VIII. de nummis *adulteratis*, horumque *notis*, & nummis *detritis*, ſubjuncto *vocum* in nummis *abbreviatarum breviario.*

§. XI.

In prælectionibus vero ſingula non ſolum *diſcurſu uberiori* ex *libris* optimis & *nummis ipſis* conquiſito illuſtranda, ſed etiam *ſcriptores*, ex quibus ſpecicalia plura peti poſſunt, enarrandi, atque *nummi ipſi*, quos quidem mea arcula poſſidet, oſtendendi.

CA-

# CAPUT I.

## DE REI NUMMARIÆ ORIGINE ET PROGRESSU.

§. I.

NUmiſmatum *origo* petenda eſt *ab illo tempore,quo cum gentium diſperſione linguæ diverſæ ortæ fuerunt*: cum enim mercium permutatio, commerciorum modus ſimpliciſſimus & antiquiſſimus, creſcente hominum multitudine non amplius ſatis commoda videretur, *nihil aptius ad commercia viſum fuit metallis*, præſertim illis, quæ ob qualitates naturales perpetua videbantur.

§. II.

*Initium* factum fuiſſe videtur *argento*,quod *maſſis ſeu particulis rudibus* appendebatur, terris auriferis nondum notis: *poſtea maſſæ rudes, argenti & æris*, notis certis, pondus & pretium indicantibus,fuerunt ſignatæ, *tandem ſpeciebus ſingulis pondus certum* conſtitutum, & *typus* compreſſus. Confer. HERMAN. ULR. à LINGEN *ſchediaſma de origine & inventoribus pecuniæ & numiſmatum*. Jenæ 1715. q.

§. III.

Argumentum vero de *primo nummorum*

*rum inventore* æque *incertum ac controverſum* eſt atque illud, quod de primo literarum agit inventore: aſt tamen nummos, qui *maſſæ rudes* fuerunt, *primum in Chaldæa*, terra poſt diluvium primum habitata, *in uſu fuiſſe*, atque *inde* in *Babyloniam*, *Ægyptum*, *Græciam*, denique ad *Romanos*, alioſque populos, delatos eſſe, maxime eſt probabile. Vid. GEN. Cap. XX, 16. Cap. XXII, 15. 16. & Cap. XXXIII, 19. Conf. OTT. SPERLINGII *Diſſertatio de nummis non cuſis tam veterum quam recentiorum*. Amſt. 1700. q. *Cap. II. & III.*

§. IV.

Quod ad *figuram* nummorum attinet, *communiſſima* ac *uſitatiſſima*, quæ etiam *maxime idonea* eſt *&* *perfectiſſima*, eſt figura *rotunda*: interdum tamen figura quoque eſt *angularis* & τετράγωνος, interdum *oblonga*.

§. V.

Quod *originem & progreſſum rei nummariæ apud Romanos* ſpeciatim concernit, Romani, cum aliis metallis egerent, *primum rudi* metallo *æris* utebantur, atque *aſſis libralis* & *dupondius*, à ſuo pondere dictus, apud eos appendebatur: hinc ortæ ſunt voces Latinæ, *diſpenſator*, *expenſæ*, *impenſæ*, *pendere*, *ſtipendium*. Vid. A. GELLIUS *Noct. Att. Libro XX. C. I.* PLINIUS *Hiſt. natur. Lib. XXXIII. Cap. III.*

B Idem

Landesbibliothek Oldenburg

Idem teſtatur OVIDIUS *Faſtorum Libro I. v.* 221.

*Æra dabant olim; melius nunc omen in auro eſt:*
*Priſcaque conceſſit victa moneta novæ.*

Hinc quoque *præmia*, & *pœna æris gravis* in legibus pœnalibus Romæ orta. Vid. LIVIUS *Hiſtoriarum Libr. IV. Cap. XLI.* & *XLV.* PLINIUS *l. c.* Huc etiam pertinet, quod AUREL. AUGUSTINUS de Diis Romanorum refert *de Civitate Dei Libro IV. Cap. XXI.* (Opp. editt. Antwerpiæ 1700. f. Tomo VII. *pag.* 80.) *Nam ideo patrem Argentini Æſculanum* (Deum) *poſuerunt, quia prius ærea pecunia in uſu eſſe cœpit, poſt argentea.*

## §. VI.

SERVIUS TULLIUS Rex *primus* apud Romanos *ſignavit æs*, & primum quidem *maſſa rudi* ſignata *nota pecudum*, unde & *pecunia* à pecore appellata: *in argento nummi: id à Siculeis.* Vid. VARRO *de ling. lat. Libr. IV. p.* 24. 41. & JOSEPH. SCALIGERI *Conjectanea in Varronis Libr. IV. p.* 69. PLINIUS *Hiſt. natur. Libr. XVIII. Cap. III.* PLUTARCHUS in *Poblicola Tomo I. Operum*, CASSIODORUS *Hiſtor. Rom. Libr. VII. C. XXXII.* Interdum in nummis à poſteris in memoriam & honorem cuſis, ex altera parte *Janus cum duplici fronte*, ex altera vero *ratis ſeu navis* apparet,

paret, unde *nummi ratiti*, & vetus proverbium: *Aut caput aut navem*: hinc OVIDIUS Faſtorum Libr. I. v. 239.

*At bona poſteritas puppim formavit in ære,*
*Hoſpitis adventum teſtificata Dei.*

*Conf. v.* 229. 230. Conf. GROSEI de BOSE *Diſſertatio de Jano veterum & de nummis nonnullis eum reſpicientibus; electorum rei nummariæ ſive ſelectarum Diſſertationum de rarioribus numis antiquis* (Hamburgi 1709. q. editarum) prima.

§. VII.

Cum vero pretium certum ſpeciei cuilibet aſſignaretur, *pecunia dicta* fuit *moneta* a *monendo*, quia quælibet ſpecies de certo pretio ſeu pondere monebat: ſive *quia monet, ne qua fraus in metallo vel pondere fiat*. Vid. CICERO *de divinatione libr. I. & II.* & ISIDORUS Hiſpal. *Origg. Libr. XVI. Cap. XVII.* Conf. DAV. HOFMANNI Diſſertatio in Academia Julia A. 1717. habita de *Dea moneta*, & a LINGEN *ſchediaſma* citatum *Cap. VI. de origine pecuniæ apud Romanos* p. 67. & ſeqq.

§. VIII.

*Æneorum* nummorum *Romanorum valor* erat *aſſis* conſueti: *As* autem, qui & *aſſis* dicitur, (non confundendus cum *JCtorum aſſe hæreditatis*, qui in duodecim uncias dividebatur,) primum erat



Landesbibliothek Oldenburg

*libralis* & *dupondius*; deinde *ſextanta-rius*; poſtea, lege Papiria, *uncialis*; demum vero *ſemiuncialis* fuit. Vid. DIONYSIUS HALICARN. *Antiqq. Romm, Libr. IX* GUIL. BUDÆI *Lib. de aſſe & partibus ejus* & HENR. LORIT. GLAREANI *liber de aſſe & partibus ejus. Baſil.* 1550. f.

## §. IX.

*Seſtertius in numerando* apud Romanos *locum habuit*, ejusque nota fuit LLS, IIS, H-S, vel HS; non tamen frequens nummi genus fuit, & *aſſes duos & ſemiſſem*, seu *quartam denarii* partem, conſtituit. Conf. VITRUVIUS *Libr. III. C. I. Dixerunt* autem Romani promiſcue e. gr. *decem millia ſeſtertiûm* & *decies ſeſtertiûm*; *centum millia ſeſtertiûm* & *centies ſeſtertiûm*, numerusque millenarius non ſemper fuit additus. Vid. JOH. FRIDER. GRONOVII *Comment.* aliquoties editus *de ſeſtertiis*, *ſive de pecunia vetere.*

## §. X.

*Argentum ſignatum* eſt *Romæ* anno U. C. CCCCLXXXV. Q. *Ogulnio, C. Fabio Coſſ. quinque annis ante primum bellum Punicum*, teſte PLINIO *Hiſtor. Natur. Libr. XXXIII. C. III.* Quamvis enim annum *quingenteſimum octogeſimum quintum* plerique impreſſi PLINII codices habent, faſti tamen accuratiores annum 485. tradunt,

atque

atque idem in Chifletiano Plinii codice legitur, teſte CLAUD. CHIFLETIO in libro de *numiſmate antiquo Cap. VII.* & in JOH. HARDUINI editione Pariſ. 1723. f. Conf. ROSINI *Antiqq. Romm. Lib. VIII. C.* 20. *p.* 853.

§. XI.

*Nummus argenteus*, dictus *denarius*, conſtabat olim *decem aſſibus*, ſeu pro X. libris æris permutabatur, poſt denarium *XVI. aſſibus* permutari placuit: ejus *nota* erat *litera X*: *variarunt* autem *denarii* ratione *valoris*, prouti aſſes. Vid. PLINIUS *l. c.*

§. XII.

*Aureus nummus* poſt annum LXII. percuſſus eſt quam argenteus, anno U. C. DXLVII. atque *aurei nummi* primum appellabantur *denarii ex auro*. Vid. PLINIUS *l. c.*

§. XIII.

*Valor aureorum* fuit *varius*, prouti quoque diverſis temporibus varium fuit eorum *pondus*, interdum diminutum; unde nec certum eorundem *pretium* determinari poteſt. *Solidum* tamen CONSTANTINI M. *duodecim denariorum valorem* habuiſſe, certum eſt. Conf. *Cap. III.* §. 20, 21.

## §. XIV.

De *priſcæ monetæ ad recentioris temporis* diverſas aliquot nationum *monetæ ſupputatione* conf. GUIL. BUDÆI *de aſſe* Libris V. junctum *breviarium* de aſſe, PASCASIUS GROSIPPUS in *paradoxis literariis p.* 85 *ſq. Collectio* NICOL. MAMERANI, juncta LEONH. *de* PORTIS *de re pecuniaria antiqua*, & JOH. AQUILÆ *de poteſtate atque utilitate monetarum, opuſculis*, Coloniæ 1551. o. *Tabulæ rei nummariæ Romanorum Græcorumque, ad Belgicam, Gallicam, Hiſpanicam & Italicam monetam revocatæ* Antwerpiæ 1616. o.

## §. XV.

Nummos antiquos, qui hodie *numismatum* nomine veniunt, monetarum loco atque *in uſu commercii apud veteres* fuiſſe SEBAST. ERIZZO pſeudonimus, ſeu SEBASTIAN. ECHINUS, Venetus, in tractatu italice quater Venetiis ſeculo XVI. edito, cujus titulus eſt: *Diſcurſus in numismata antiquorum, cum explicatione nummorum conſularium & medallionum Impp. Romm.* negavit: at vero idem certum eſt, ac contrarium abunde probarunt ÆNEAS VICUS & LUDOV. SAVOTUS: Conf. *prolegomena* §. 5. & CAR. PATINI *Hiſtor. numiſmat. Cap. V. de monetæ & numiſmatis differentia* p. 27. & *ſeqq.*

§. XVI.

§. XVI.

Numiſmata tamen veterum *aurea atque argentea* apud veteres quoque *gemmarum inſtar jam habita*, & *in cimeliarchiis aſſervata fuiſſe*, eaque *imprimis*, quæ hodie *Medalliones* appellantur, ob magnitudinem, & typi præſtantiam, aliis prævaluiſſe, negari nequit, atque ex *l*. 28. *ff. de uſufructu* conſtat diſertis verbis: *Numiſmatum aureorum vel argenteorum veterum, quibus pro gemmis uti ſolent, uſusfructus legari poteſt.*

§. XVII.

*Regale monetam cudendi* fuit tantum *ſummorum Imperatorum & Rerumpublicarum*, indeque nummi Aſiatici, Græcorum, Seleucidarum, Arſacidarum, Inſularum.

§. XVIII.

*Apud Romanos* ſpeciatim jus hocce fuit *Senatus*; ita tamen, ut *Magiſtratus ſuperiores*, (quales Conſules, Prætores, Dictatores, Cenſores, Ædiles Curules erant,) *ex Senatusconſulto* ſeu juſſu ac nomine Senatus jus illud exercerent: inde *nummi conſulares*, *vel familiarum* vocati, qui ſtante Republica percuſſi ſunt, de quibus ſpecialia vid. in ABRAH. GORLÆI *Theſauro*, & CAR. PATINI *Familiis Romanis* ſupra *prolegom*. §. 4. & 5. alleg.

§. XIX.

*Magiſtratus* vero illi *ſuperiores*, qui jus

cudendi tempore regiminis ſui exercebant, *non habebant jus propria imagine ſignandi* nummos, quod mox ab initio *regale fuit*; hinc in *nummis conſularibus imagines* Deorum, Dearum, & Majorum, urbis Romæ, victoriarum, ædificiorum publicorum, ſpectaculorum, & ſimilia exhibentur, junctis *magiſtratuum nominibus*.

§. XX.

*Triumviri* rei monetalis, ſive III. VIRI A.A.A.F.F. hoc eſt, *Triumviri Auro Argento Ære Flando Feriundo* prouti in nummis & lapidibus appellantur, circa ultima Reipublicæ tempora, tanquam *proprius magiſtratus monetalis*, orti ſunt, eorundemque curæ moneta flanda feriunda uſque ad tempora AUGUSTI erat commiſſa. Vid. *l.* 2. *§*. 30. *ff. de Origine juris*, CICERO *Libr. VII. familiar. Epiſt. XIII.* & *Libr. III. de legibus pag. m.* 1258.

§. XXI.

*Triumviri illi ſolum ſuum nomen, ſine figuris aliis*, in nummis exprimebant, & a materia nummorum *dicebantur aurei, argentei, ænei*: pro Triumviris autem CÆSAR *ſubſtituit Quadriumviros* monetarios, argento publico feriundo, quos tamen ad priorem numerum Triumvirorum AUGUSTUS reduxit.

§. XXII.

Landesbibliothek Oldenburg

§. XXII.

POMPEJUS M. primus fuit qui ſua *imagine* nummos *ſignavit:* maxime enim veriſimile eſt, *Pompejum* ipſum imagine ſua nummos ſignaſſe, Republica labaſcente, & ſtatu Romano corrupto; non obſtante, quod nonnulli putant, nummos POMPEJI imagine ſignatos poſt ejus mortem, auctore filio *Sexto Pompejo*, cuſos eſſe. Idem vero ex ſingulari ſenatus decreto C. JUL. CÆSARI, Dictatori perpetuo, conceſſum fuit, quem *Imperatores reliqui*, ſumma rerum potiti, *ſecuti* ſunt, voce quoque CÆSARIS in *dignitatis titulum* translata; quorum nummi *Imperatorii* appellantur, eorumque prima frons impreſſam exhibet *effigiem Imperatoris*, vel *Auguſtæ*, vel *liberorum ejus*; in *conſularibus* vero propriæ imagines non ſpectantur: hinc *in Evangelio* MATTH. *XXII*, 20. de numiſmate tributario, CÆSARIS imaginem & inſcriptionem exhibente, legitur quæſtio: *Cujus eſt imago hæc, & inſcriptio?*

§. XXIII.

*Senatui Romano ab Imperatoribus* relicta fuit *poteſtas æris ſignandi*, tanquam umbra quædam majeſtatis & libertatis antiquæ: pertinent huc *nummi* Cæſarum tempore *ſignati* ſemper nota ordi-

nis hujus, ſeu conſenſus, *literis* SC. id eſt, *ex Senatus conſulo.*

§. XXIV.

TRAJANUS quoque Imp. *ſenatui* conceſſit *jus argentum ſignandi:* poſt TRAJANI vero *mortem* idem *jus* à ſucceſſore HADRIANO ſenatui rurſus fuit *ereptum.*

§. XXV.

Nummi *Imperatorum dividuntur* in nummos *ex alto & baſſo imperio*, cujus *diviſionis cauſa* eſt, quia *Imperium* ipſum *in altum & baſſum* olim dividebatur.

§. XXVI.

Nummi ex alto ſeu ſuperiori Imperio incipiunt a C. JUL. CÆSARE, & deſinunt cum *XXX. tyrannis: ſeries* vero (ſive die *Suite*) appellatur, quando *omnes hi nummi imperatorii in ſuo ordine*, ſive *continua ſerie* in nummophylacio aliquo *reperiuntur.*

§. XXVII.

Nummi hi *ex alto Imperio*, ænei præcipue, ſunt *rariores*, *utiliores* & *cariores*, quam argentei, plurimique *æſtimantur: typus* quoque eorum *præſtantior* eſt, *magisque diverſus*, quam nummorum ex baſſo Imperio.

§. XXVIII.

Nummi *ex baſſo* ſeu inferiori *Imperio* dicuntur reliqui *a temporibus XXX. tyranno-*

*rannorum*, vel fine ſeculi III. *uſque ad* ſec. VI. ſeu *tempora* JUSTINI II. cum quo Imperium Occidentale deſinebat, Longobardis in Italia regnum ſuum fundantibus. Ordo Impp. Romm. a JULIO CÆSARE uſque ad HERACLIUM vid. in PATINI *Hiſtoria numiſmat. p.* 72. *& ſeqq.* & STRUVII *Bibliotheca numiſmatum Cap. II. p.* 108. *ſeqq. Ab aliis* vero iidem late nimis *extenduntur uſque ad A. MCCCCLIII.* quo Conſtantinopolis fuit capta.

§. XXIX.

*Byzantini* nummi ſpeciatim dicuntur, qui *a* CONSTANTINO M. *ejusque ſucceſſoribus*, Imperatoribus Chriſtianis, in Imperio Orientis *fuere cuſi: hi* vero ſolent eſſe *frequentiores*, atque *a reliquis* & magnitudine & typo *multum differunt*. Multa de iisdem egregia affert CAROL. du FRESNE, tum in *hiſtoriæ Byzantinæ* commentario priori, (Pariſ. 1680. f.) quippe qui Impp. Conſtantinopolitt. familias ac ſtemmata, cum eorum numiſmatibus & iconibus aliquot exhibet; tum in *tractatu* de Impp. Cpolitanorum numiſmatibus, ejusdem *Gloſſario mediæ & infimæ latinitatis Tomo II.* annexo.

§. XXX.

Ceterum nummi quoque occurrunt *Græ-*

Landesbibliothek Oldenburg

*Græcarum civitatum & coloniarum Romanorum cuſi* ab iisdem *ex privilegio* ſeu jure ab Imperatoribus conceſſo, in quibus plerumque *imagines* Deorum, Imperatorum, aut illuſtrium virorum; *in altero* vero *latere* earum inſignia, ſacra, ſpectacula, & ſimilia repræſentantur. Commendandus h. l. JOH. VAILLANT in libro: *Numiſmata ærea Impp. in coloniis percuſſa*, qui JOH. HARDUINO, ſcriptori *de nummis antiquis populorum & urbium*, in multis contradicit.

# CAPUT II.

## DE DIVISIONE NUMISMATUM RATIONE TUM ÆTATIS, IN ANTIQUA, MEDIA, NOVA, TUM RESPECTU NATIONUM.

§. I.

Numiſmata ratione *ætatis dividi* ſolent in *antiqua*, *media*, & *nova*.

§. II.

*Antiqua* numiſmata *ab origine nummorum uſque ad ſeculum* poſt *C. N. VI.* extenduntur, atque *ſecundum regna populosque diſtribuuntur* & ordinantur. Conf. §. XVIII. h. c.

§. III.

*Mediæ ætatis* numiſmata conſtituunt nummi *Gothici*, *Longobardici*, *Francici*, & *Ger-*

*Germanici*, a fine Imperii Occidentalis, & *ad ſeculum XIII. vel XIV.* extenduntur.

§. IV.

Nummi *Gothici* cuſi ſunt *a tempore Italiæ occupatæ à Gothis*, quibus armorum majus, quam artium & ſcientiarum erat ſtudium; iidemque quidem *Romanos imitare* voluerunt, ſed *impari conatu*, cum in eorum typis, e. g. equus a camelo, camelus ab elephante vix dignoſci queat: *nota* eorum eſt *ſoliditas*, quæ vere ſimilis thaleris hodiernis, atque *inſcriptio* vel nulla vel talis, quæ cognoſci & legi non poteſt. *Ejusdem* quoque *fere ſortis & elegantiæ* ſunt nummi *Longobardici*.

§. V.

Nummi *Francici*, (qui vel *cavi*, vel *ſolidi*,) ita appellantur *a regno Francico*; iidemque *Turonici* dicti ſunt *ab urbe Turono*, ubi primaria officina monetaria erat; quia vero hi nummi *Turonici majores* erant, quam alii, *Groſſi Turonici* dicebantur, unde poſtea orta eſt vox groſſus, ein Groſche: *Signati* ſunt *cruce*, ut ex nummis CAROLI M. & ſucceſſorum ejus patet; *poſt* vero etiam *lilia* acceſſerunt.

§. VI.

Quod ad nummos *Germanorum* ſpeciatim

tim attinet, eorum nummi ætati inferiori fuerunt vel *ſolidi*, dicti *moneta* & *pecunia ſolida*, german. Münte, Müntze, hart und ſchwehr Geld, vel *bracteati*, *bracteales* & *laminares*, *a bracteis ſeu laminis metalli* dicti, germanice weich und leicht Geld, & olim Pennige, Pfennige, (hinc *panningi* vel *pfanningi*,) ad indicandum diſcrimen à ſolidis, qui quoad craſſitiem valde tenues ſunt, imo *ex tenuiſſimis bracteis* ſeu *laminis* interdum conſtant: annus vero pecuniæ cuſæ uſque ad ſeculum poſt C. N. XIV. hucusque nunquam viſus eſt in nummis Germanicis expreſſus.

## §. VII.

*Bracteatis*, *ante tempora* OTTONIS M. Imper. *nondum notis*, Germani olim utebantur ad uſum quoque quotidianum, iidemque Germanice hodie etiam appellari ſolent Blech-Pfennige, Blech-müntzen, Blätterlinge, Heiligen-Pfennige, & Pfaffen-Pfennige: vocantur quoque *nummi cavi*, Hohl-Müntzen, ob cavitatem partis alterius. Notandum tamen, quod *omnes* quidem *bracteati* ſunt *cavi*, ſed *non omnes* nummi *cavi* ſunt *bracteati*: cavi enim ſunt minores, magis craſſi, & jam ante OTTONIS M. tempora quoque formati.

§. VIII.

§. VIII.

Bracteatos *cudebant Imperatores & Reges* ex poteſtatis *prærogativa; Duces, Epiſcopi, Comites & urbes* ex Imperatoris aut Principis regionis *conceſſione*: dignoſcuntur autem *bracteati Imperatorum* & *Regum* ex *ſceptro*, & *pomo Imperiali*, rarius *gladio*: *Ducum* & *Comitum* ex *gladio, clypeis & vexillis*; *Epiſcoporum* & *Abbatum* ex *cruce* & *baculo paſtorali*; *urbium* ex earundem *inſignibus*. Idem quoque de *nummis cavis*, quorum plerique ſunt urbium, eſt obſervandum.

§. IX.

Quod *materiam* bracteatorum concernit, dantur *aurei, argentei, ærei* & *cuprei argento mixti. Aurei minores* & *ſolidiores* ſunt, quam argentei, atque eximiæ *raritatis. Argenteorum* plerique *ex optimo argento* percuſſi ſunt, eorumque *major* hodie quam aliorum eſt *numerus*, ac ſedecim pluri plerumque *pondus* habent *ſemunciæ*. Plurimi autem bracteatorum perierunt, hodieque eorum *numerus* eſt *exiguus*, eo diligentius cuſtodiendus & rimandus, magisque in pretio habendus. Conf. OLEARII *Iſagoge*, *Capite II.* toto, qui quoque de eorum *figuris & inſcriptionibus Cap. III.* multa exhibet memorabilia.

§. X.

§. X.

Ceterum ſcripta auctorum, qui ad illuſtrandum bracteatos multum ſtudii adhibuerunt, commendanda ſunt ſequentia.

I. JOH. ALEXANDRI DOEDERLINI *Comment. de nummis Germaniæ mediæ, quos vulgo bracteatos & cavos adpellant*, Norimb. 1729. q.

II. JOH. HENR. HOTTINGERI *Nummi bracteati Tigurini*, Tiguri 1702. q.

III. JOH. GEORG. LEUCKFELDI *Antiquitates nummariæ*, oder hiſt. Beſchreibung vieler alten raren ſilbern *Bracteat*en und Blechmüntzen, welche die Halberſtadt- und Magdeb. Biſchöfe, auch Quedlinburgiſche Abbatißinnen prägen laſſen. Lipſ. & Wolfenb. 1721. q. Hiſtoriſche Nachricht von raren ſilbern *Bracteat*en einiger Ertzbiſchöfe zu Magdeburg. It. Fernere Nachricht von denſelben. Halberſt. 1723. q.

IV. JOH. GEORG LIEBKNECHT *de nonnullis bracteatis nummis Haſſiacis, deque iſtorum uſu in locis Rheno ſic & Franconiæ vicinioribus diſſertatio epiſtolica ad* JO. ANDR. SCHIMDIUM, *cum ejusdem reſponſo*, Helmſtad. 1716. q.

V. JOH. PETR. LUDEWIG Einleitung zu dem Teutſchen Müntzweſen mittler Zeiten, nebſt einem Anhange verſchiedener 1708. ausgegrabener Hälliſcher und Mageburg. bracteatorum, Halæ 1709. Q.

VI.

VI. JOH. JAC. MOSERS Anmerckungen über J. P. LUDEWIG Einleitung zum Müntzweſen mittler Zeiten. Stuttgard. 1722. o.

VII. JOH. CHRISTOPH OLEARII *Iſagoge ad numophylacium bracteatorum, qua præſtantia, uſus & natura illorum ſuccincte deſcribitur, addita centum & amplius eorundem litteris ſignatorum ſylloge.* Jenæ 1694. q. *Spicilegium antiquitatis exhibens XXV. bracteatos.* q. *Spicilegium antiquitatis exhibens bracteatos Brunſvico - Luneburg.* Jenæ 1703. q. *Spicilegium antiquitatis Halberſtadenſes bracteatos tradens.* Jen. 1703. q.

VIII. CHRIST. SCHLEGELII *Exercitatio hiſtorica de nummis antiquis Iſnacenſibus, Mulhuſinis, Northuſinis & Weiſſenſeenſibus; qua ſimul vera bracteatorum ætas aſſeritur.* Jenæ 1704. q. *De nummis Altenburgenſibus.* Dresdæ 1696 q. *De nummis antiquis Gothanis & Cygneis.* Goth. 1717. q. *De nummis antiquis Salfeldenſibus, Arnſtadienſibus, & Jenenſibus* Dresdæ 1699. q. *De nummis Abbatum Hersfeldenſium apoteleſma.* Gothæ 1724. q.

IX. JOH. AND. SCHMIDII *Schediaſma de nummis cathedraticis.* Jen. 169;. q. *Nummi bracteati Numburgo-Citzenſes, Pegavienſesque,* Jenæ 1695. q. *Numus bracteatus* HENRICO II. *ſeculi XIII. Comiti Blanckenburgico ante Hartonem vindicatus.* Helmſtad. 1718. q.

X. NICOL. SEELÆNDER Sendſchreiben von Churfürſtl. Brandenburgiſchen *bracteaten*. Hannoveræ 1724. q. Des Müntzſchatzes mittlerer Zeiten Abhandlung der Abtey Fulda, der Heßiſchen, der Hildesheimiſchen *bracteaten*, ſcripta III. quæ ſine loco & anno impreſſionis prodierunt, f. Abhandlung der Churfürſtl. Mayntziſchen *bracteaten*. 1725. f.

XI. OTTON. SPERLINGII *Epiſtola* ad JAC. a MELLEN *de nummorum bracteatorum & cavorum, noſtræ ac ſuperioris ætatis origine & progreſſu*. Lubec. 1700. q. Conf. Monathl. Auszug A. 1700. p. 189. & ſeqq.

## §. XI.

Tandem nummi *novi*, vulgo dicti *moderni*, *initium* ſuum habent *a fine circiter ſeculi XV.* cum initium fieret *thalerorum* cudendi: qui primum a Germanis appellabantur dicke Groſchen, ad imitationem *groſſorum Turonicorum*, qui vocabantur *les gros*, & Gülden-Groſchen, ob valorem aurei: *poſtea* vero *a Valle Joachimica Bohemiæ*, in qua frequentius cudebantur, dicti ſunt *Joachimici*, *Vallenſes* & *Thaleri*, atque hinc *thalerorum* nomen ævo quoque noſtro eſt *conſuetum*. De *calculis ſupputatoriis* & *talismanis*, quos aliquin ad nummos referre ſolent, vid. PATINUS *Hiſtor. numiſm. p. 94 & ſeqq.*

§. XII.

§. XII.

*Numiſmata moderna dividuntur in thaleros, & numiſmata memoriæ*, quæ Gallis *Pieçes de plaiſir*, vulgo Schaupfennige, Schauſtücke, & *Medaillen* vocantur: eorumque *pretium certum conſtitui nequit*: variat enim idem ſecundum raritatem, magnitudinem, & pondus eorundem, atque conditionem emtoris.

§. XIII.

*Thaleros* indicat *pondus unciæ*, iidemque *in commercio* quidem fuerunt, & eſſe ſolent *ſæpius* tamen *in nummophylaciis quoque* aſſervantur ob raritatem, typique præſtantiam.

§. XIV.

*Primus* & *antiquiſſimus* thalerus, ex conſenſu plurimorum eruditorum, eſt SIGISMUNDI, Archi-Ducis Auſtriæ, A.R.S. MCCCCLXXXIV. cuſus, quem *anno* MCCCCLXXXVI. alius ſecutus eſt: Vid. JAC. a MELLEN *Sylloge nummorum ex argento uncialium*, quos Impp. & Regg. Romm. nec non Auſtriæ Archi-Duces ſignari juſſerunt, (Lubecæ 1698. q.) p. 150. Conf. SAM. REYHER in *Diſſ. de tribus argenteis nummis, iisque uncialibus antiquiſſimis*. Kil. 1695. q. WILH. ERNST TENZEL in *Colloq. menſtruis Germann. A.* 169).*menſe Jan. & Decembr.*

§. XV.

Numiſmata *memoriæ* magnitudine & pondere valde *inter ſe differunt*, atque *plerumque percuſſi ſunt in memoriam Principum*, eorumque dies natales, nuptiales & emortuales, victorias, aliarumque rerum geſtarum memoriam. Nummos *modernos* exhibent *Theſaurus numiſmatum modernorum* hujus ſeculi, oder Gedächtniß-Müntzen des gegenwärtigen Seculi von 1700. bis 1710: X. Theile und V. Supplementa cum figg. Noribergæ 1710. f. editus. JOH JAC. LUCKIUS *in ſylloge numiſmatum elegantiorum, quæ diverſi Impp. Reges, Principes ab A.* 1500. *ad A. uſque* 1600. *cudi fecerunt, concinnata & hiſtorica narratione illuſtrata*, Argent. 1620. & Frf. 1650. f. *cum figg.* GOTTFRIED DEWERDECK in *Sileſia numiſmatica*, oder Einleitung zu dem Schleſiſchen Müntz-Cabinet, in welchem bis 368. theils ſehr alte rare und ſchöne Müntzen in Kupffer gewieſen, und hiſtorice erkläret. Jauer 1711. q. c. figg. Conf. infra Cap. VI. §. 14 *ſq.* & *Cap. VII.*

§. XVI.

*Uſus* eorundem modernorum in Hiſtoria, Chronologia, & Genealogia illuſtranda *ſingularis* eſt; prouti quoque *integras* & *Principum* & *clarorum virorum hiſtorias* eruditi plures *ex* num-

Landesbibliothek Oldenburg

*nummis* illuſtrarunt; atque huc pertinent ex Italis PHILIPP. BONANNI, qui *Pontificum Romanouum numiſmata* Voll. III. publici juris fecit Romæ 1699. f. e Gallis BIZOT, qui *hiſtoriam Hollandicam per nummos illuſtratam* lingua Gallica edidit Amſt. 1688. o. CLAUD. FRANC. MENESTRIER, cujus extat *Hiſtoria Regis Galliæ* LUDOVICI M. *ex numiſmatibus illuſtrata*, gallice edita Pariſ. 1691. f. & ibid 1693. f. recuſa; CLAUD. *du* MOLINET, cujus *Hiſtoria ſummorum Pontificum a* MARTINO V. ad INNOCENTIUM XI. per eorum numiſmata, prodiit Pariſ 1679. f. cum figg. e Germanis JOH. JAC. LUCKII ſylloge, de qua §. anteced. XV. JACOB. a MELLEN in *ſerie Regum Hungariæ è nummis aureis, qnos vulgo ducatos appellant, collecta & deſcripta.* Lubecæ 1699. q. WILH. ERN. TENZELII *Saxoniæ numiſmaticæ lineæ Albertinæ partes IV.* Francofurt. 1705. & Dreſdæ 1711. q. & *Saxoniæ numiſmaticæ lineæ Erneſtinæ partes IV.* Francof. & Dreſd. 1705. q. recentior vero e us editio cum ſupplementis II. per CHRIST. JUNCKERUM Tomis IV. prodiit Lipſiæ 1714. q. cujus inſcriptio eſt: *Saxonia numiſmatica Lineæ Erneſtinæ & Albertinæ*, oder Sächſiſches Medaillen-Cabinet von Gedächtniß-Müntzen und Schaupfennigen, welche die Fürſten zu

Sachſen ſeint 200. Jahren haben präger laſſen. CHRIST. JUNCKERI *vita* LUTHERI *nummis CXLV & iconibus aliquot illuſtrata*, quæ prodiit Francof. 1689. & 1699. o. item Germanice Norib. 1706. o. & alia ſcripta hujus argumenti.

§. XVII.

Speciatim de *ſcriptoribus*, *qui ſingulis fere ſeculis Imperatorum Romanorum, atque Regum Germaniæ* hiſtoriam conſignarunt, eamque *ex numiſmatibus* illuſtrarunt, vid. CASP. SAGITTARII *Introduct. in hiſtor. eccleſ.* Jenæ 1718. q. edita *Tomo I. C. XXIII. p.* 576—596.

§. XVIII.

Quod denique *diviſionem* numiſmatum *ſecundum nationes* concernit, eadem *facilis* eſt & *arbitraria*. *Antiquiores* enim ſunt nummi *Arabici*, *Aſiatici*, *Byzantini*, *Græci*, (inter quos *Darici* & *Philippici* ita dicuntur ob impreſſas imagines DARII & PHILIPPI Regum, licet eosdem poſtea Romani quoque imitarentur,) *Hebraici*, *Inſularum*, *Parthici*, *Punici*, *Romani*, *Syriaci*. Sic etiam *recentiores* facile dividuntur ſecundum *nationes & regna diverſa*.

** * **

CA-

# CAPUT III.

## DE NUMMORUM, ROMANORUM IMPRIMIS, DIVISIONE RESPECTU MATERIÆ, AURI, ARGENTI, ÆRIS, ET ÆRIS CORINTHIACI, PLUMBI, STANNI, ELECTRI, SPECIATIM ÆNEORUM, ARGENTEORUM, AUREORUM, DIVERSA MAGNITUDINE.

§. I.

Monetis atque nummis, prouti *apud Græcos*, ita & *apud Romanos materiam* præbuere tria metalla, *aurum*, *argentum*, & *æs*: unde etiam *Triumviri rei monetalis* nomen ſuum acceperunt. Conf. *Cap. I.* §. 20 & JOH. ROSINI *Antiqq. Romanæ auctæ per* THOM. DEMPSTERUM *Libro VII. Cap. XXXI. p. m.* 722. *& ſeqq.*

§. II.

Nummos *æneos primus* apud Romanos cudi fecit SERVIUS TULLIUS Rex, quamvis *majori* & *forma* & *pondere*, quam poſtea bellis Punicis factum. Conf. *ſupra Cap. I.* §. 5. & 6.

§. III.

Nummi *ænei* Romanorum *diſtinguuntur* in eos, qui *ex ære* ſunt *vulgari*, quod

noſtro cupro fere ſimile, & eos, qui ex ære ſunt *flavo*: in *imperio alto* nummi cudebantur *ex ære utroque*, *in baſſo* vero ex *ære vulgari*, hinc nummi ex ære flavo in baſſo imperio ſunt valde rari.

§. IV.

Alii *nummi* ænei *ex ære Corinthiaco* eſſe dicuntur *ob præſtantiam ſingularem*, dum tria metalla, aurum, argentum & æs unum corpus conſtituere creduntur: *quicquid* vero de hocce ære Corinthiaco *vulgo dicitur*, *fictitiis* annumerandum. Conf. SAVOTUS in *diſcurſu de nummis antiquis Parte II. Cap. X.* qui *tres* æris Corinthiaci *ſpecies* effingit.

§. V.

Notandum quoque, quod circa SEPTIMII SEVERI Imp. tempora æri *admixtum* fuit *plumbum*.

§. VI.

Reſpectu *magnitudinis* nummi *ænei* dividuntur in *ſpecies quatuor*: nempe eos, qui ſunt ex *ære magno, medio, minimo*, & *ex maximo modulo*: magnitudines autem *æſtimandæ* ſunt ex craſſitie nummi & eminentia figuræ. *Prima* & *antiquiſſima* ſpecies eſt *ex ære magno*, quales nummi *in imperio alto frequentiores* erant, atque in ſerie reperiuntur uſque ad DOMITIANUM Imp.: poſtea vero ſunt rariores usque ad POSTUMOS, cum quibus deſinunt.

§. VII.

Landesbibliothek Oldenburg

§. VII.

*Secunda* ſpecies eſt *ex ære medio*, eademque *frequentiſſima*, ab urbibus & coloniis plerumque cuſa, hujusque *ſeries* usque *ad* HERACLIUM *Imp.* ſub ſeculi VII. initium ducitur.

§. VIII.

*Tertia* ſpecies eſt ex *ære minimo*, quæ *ex alto Imperio rarius* reperitur; verum *a tempore* POSTUMORUM *Impp.* eſt *frequentiſſima*; atque *ob frequentiam, parvitatem, & typi ſimilitudinem parum æſtimatur, ſeriei* tamen *reſpectu aſſervatur, rariorque* iterum eſt ſeculo V.&VI. Notandum quoque h. l. quod *nummi minutiores* ſunt *æſtimabiles* præcipue, quando *typi elegantia* majoribus ſunt *pares*, & quia eorum integra ſeries non datur, *nummis ex ære medio* in numophylaciis *jungendi* ſunt.

§. IX.

Denique *quartam* ſpeciem conſtituunt numiſmata, quæ dicuntur *maximi moduli*, Romanis olim dicata *Sigilla* & *Misſilia*, Italis vulgari lingua *Medaglioni*, indeque Germanis & Gallis *Medaillons*, quæ monetæ loco non erant, ſed *inter numiſmata* numerabantur, & hodiernis nummis memoriæ reſpondent; de quibus commendandus A. MORELLUS in *Specimine rei numm. p.* 24. *ſqq.* & JOH. VAIL-

LANT in libro: *Selectiora numiſmata in ære maximi moduli e muſeo* FRANC. *de* CAMPIS *conciſis interpretationibus illuſtrata.* Pariſ. 1695. q.

§. X.

*Medalliones* iſti *ab aliis* nummis facile *dignoſcuntur*, & *magnitudine*, & *typi* multis figuris conſpicui *præſtantia*, ob quam, necnon *raritatem*, præcipue quoque æſtimantur: eorundemque typo diverſorum *numerus ad millenarium* usque aſſurgit. Conf. MORELLUS *l. c.*

§. XI.

Quod ad nummos *argenteos* attinet, *Romani* argenteis *propriis ab initio uſi non fuerunt*, ſed ab aliis populis acceptis: *circa tempora* vero *primi belli Punici argenteos cudere* cœperunt. *Conf. c.* 1. §. 10.

§. XII.

Utebantur Romani *argento probo* temporibus Reipublicæ, & primis Monarchiæ *uſque ad tempora* SEPTIMII SEVERI Imp. qui *partem tertiam æris* addidit: dein *tempore* GALLIENI Imp. *metallo mixto*, ſeu *pecunia ærofa*, (vid. *l.* 102. *ff. de ſolut.*) quæ Gallis *monnoye de billon* dicitur, cujus minima pars argentea erat, utebantur: porro circa POSTUMII *tempora* uſi fuere *ære deargentato:*

*tato*: priſtinam vero *puritatem* metalli *reſtituere conatus* eſt TACITUS Imp. dum cavit, *ut, ſi quis argento publice privatimque æs miſcuiſſet, ſi quis auro argentum, ſi quis æri plumbum, capitale eſſet, cum bonorum proſcriptione*, ut notat FLAV. VOPISCUS *in* TACITO; ſed ſucceſſu non ſatis felici.

§. XIII.

Reſpectu *magnitudinis* nummi *argentei* ſunt *formæ minoris, mediæ,* & *maximæ.*

§. XIV.

I. *Argentei* formæ *minoris denarii* appellantur, *pondus* eorum eſt *drachmæ*, & *frequentius* tam inter conſulares, quam Imperatorios, reperiuntur.

§. XV.

Iidem *varie diſtinguuntur*: vel enim a *typo* bigati, quadrigati, galeati, pileati, victoriati, ſtellati, dicuntur; vel a *certis circumſtantiis*, ſerrati, perforati, ſubærati, aſperi, aliisque nominibus appellantur, de quibus *Cap. IV.* plura.

§. XVI.

II. *Mediæ* formæ ſunt *Regum exterorum* & *Imperatorum priorum*, quorum quidem argentei hujus formæ ſunt *craſſiores*, *Imperatorum* vero *poſteriorum* ſunt *tenuiores*.

§. XVII.

III. *Maximæ* formæ ſive *medalliones*

ſunt

Landesbibliothek Oldenburg

ſunt *variores* & cariores: *Regum* tamen *Syriæ & Ægypti*, quam Romanorum *medalliones argentei frequentiores* ſunt atque *majores*.

§. XVIII.

Quod denique ad nummos *aureos* attinet, iidem primum *denarii ex auro*, poſtea *aurei*, denique *ſolidi appellati* ſunt. Conf. *ſupra Cap. I §.* 12. 13. & PETRONIUS in *ſatyr.* Francof. 1629 q. *p.* 13.

§. XIX.

Nummi aurei *primitus* cudebantur *ex auro probo, usque dum* SEPTIMIUS SEVERUS *Imp.* aurum, argentum, & æs *commiſceret*.

§. XX.

*Pondus* eorum *primis temporibus* duobus ducatis hodiernis conſtabat: notabile quoque, quod de aureis ævi veteris docet T. LIVIUS *Hiſtoriarum Libro XXXVIII. Cap. XI. Pro argento ſi aurum dare mallent, darent, convenit: dum pro argenteis decem aureus unus valeret.* Circa ſeculi vero *III. & IV.* tempora *pondus* eorum *parte quarta* fuit *diminutum*. Conf. RINCKIUS *de vet. numiſm. potent. Cap. XI.*

§. XXI.

*Magnitudo* eorundem eſt *eadem*, ducatis hodiernis ſimilis: reperiuntur autem *aurei* quoque *formæ maximæ*, qui tamen *raritatis* ſunt prorſus *eximiæ*.

§. XXII.

§. XXII.

Nummi *ex auro inter conſulares* ſunt *rariſſimi*, imo *Imperatorum* quoque *quorundam* aurei eſſe ſolent *rariores*. Plura de iisdem qui deſiderat, conferat JOH. VAILLANT *Numiſmata præſtantiora Impp. Romm. Tom. II.* Pariſ. 1674. Amſt. 169, . q.

§. XXIII.

De nummis *plumbeis* ac *ſtanneis*, qui reperiuntur, & rectius *orbes* vocantur, hoc loco addendum, quod iidem *in commercio non fuerunt*: quod probatur 1) quia *ſcriptorum* nullus nummorum hujus generis Romanorum autoritate publica cuſorum *mentionem facit*. 2) *ex figura monetæ* apud Romanos, quam indicant *tres feminæ*, quæ trium metallorum præſtantiorum ſunt ſymbolum: *uſus* autem eorundem fuit, ut eſſent vel victoriæ præmia *in ludis gymnicis*, vel dona *in ludis ſaturnalibus*.

§. XXIV.

Reperiuntur vero & nummi *plumbei* & *ſtannei* tum *tempore neceſſitatis* nonnunquam *parati*; vid. qui tales profert CAR. PATINUS *introd. ad hiſt. numiſm. Cap. VI.* tum *fraudulenter cuſi & adulterini*, quales argento vel auro illitos cudiſſe CARACALLAM, teſtis eſt XIPHILINUS in *hiſtoriis e Dione*: *Antonino Caracallæ*, inquit, *cum cætera omnia; tum nummis adul-*

*adulterinus erat: nam pro argento auro-ve, quod nobis daret, plumbum argentatum, & æs inauratum parabat:* huc etiam pertinet, quod lex nummaria *l.9. §.2. ff. ad L Cornel. de falſ. nummos ſtanneos & plumbeos emere & vendere dolo malo* prohibet.

§. XXV.

Nummi *electrei ex partibus tribus auri & una argenti* miſtis conſtabant, atque in *commercio* fuerunt: cum autem *jam olim raritatis* fuerint *eximiæ, vix amplius* reperiuntur. Conf. de *electri* maſſa non arte facta, ſed nativa PLINIUS *Hiſt. natur. LXXXIII. Cap. IV.*

# CAPUT IV.

## DE NUMMIS CONSIDERATIS RESPECTU NOMINUM VARIORUM EX ALIQUO ACCIDENTI ORTORUM.

§. I.

Nummorum *varia* ſunt *nomina*, reſpectu vel *hujus aut illius accidentis*, vel *typorum* orta.

§. II.

Reſpectu *certi* alicujus *accidentis* nummi appellantur *ſerrati, perforati, ſubærati* & *ſubferrati, inaurati* & *deargentati, anſati* & *limbo circumdati, aſperi, anaglyphi, incuſi,*

*incuſi, confuſe efformati, ſciſſi, reſtituti,* denique *conturniati.*

§. III.

*Serrati,*(quos TACITUS *de Moribus German.* C. V. nominat *pecuniam veterem & diu notam,*) nomen habent non ab imagine ſerræ impreſſa, ut vulgo putarunt, ſed a forma externa, *ambitu ſerrato ſeu dentato*, quia *extima ora eorum* in modum ſerræ, ſeu ut folia herbæ ſerratulæ eſt *dentata*, ad detegendas fraudes adulterinorum: Conf. HENR. THOM. CHIFLETIUS in *Diſſert. de Othonibus æreis* (Antwerp. 1656. q.) *Cap VI.* iidemque alias *denticulati* appellantur, & *tantum inter Conſulares* occurrunt ad Auguſtum usque.

§. IV.

*Perforati* ita vocantur *a foramine*, quod *in ſumma ſemper eorum parte* reperitur, itidem ad fraudes defraudatorum, qui etiam crenas exciſas imitati ſunt, detegendas, atque ut de bonitate nummi intrinſeca conſtaret: putant tamen alii, nummos olim quoque perforatos eſſe, ut tanquam ornamenta, aut amuleta, in collo geſtari poſſent.

§. V.

*Subærati* ſic dicti, qui tum conſulum, tum Cæſarum tempore, a defraudatoribus *ex ære cuſi*, tenui *lamella argentea ſuperinducta:* atque alias quoque appel-

lantur

lantur *pelliculati*, quaſi pelle implicitiſ ſeu incruſtati, Germanis überzogene oder gefütterte Müntzen, Gallis *medailles fourrées.*

§. VI.

*Eadem* eſt *ratio ſubferratorum*, quorum nonnulli etiam lamina ænea obducti ſunt: utrique tamen hodie *æſtimantur ob* genuinam eorundem *antiquitatem*, atque *raritatem*, cum utrique jam olim reperti mox comminuti & deleti fuerint.

§. VII.

*Inaurati* & *deargentati*, generatim *tincti*, dicuntur *ab auro & argento monetis argenteis & æneis ſuperinducto*: quod tamen non ſemper defraudandi cauſa factum: *Tincti* vero hodie dicuntur quoque, qui tenaciſſimo colore ſunt virides.

§. VIII.

Nummi *anſati*, atque *limbo circumdati*, quibus in parte ſuperiori annulus ſeu circulus minutus junctus eſt, Romanis *non erant frequentes*: *geſtarunt* tamen tales *e collo pendentes*, ut *pretioſa monilia*: hinc ACCURSIUS in *gloſſa ad l.* 28. *ff.* cit. *de uſufructu* ex JOH. BASSIANO ſcribit: *Erit fructus in hoc, quod pro gemmis tanquam monilia portentur ad pectus.*

§. IX.

§. IX.

*Aſperos* olim appellabant *nummos recentes* inter hominum manus nondum verſatos, quorum SUETONIUS *Libro VI. in* NERONE *C. XLIV.* mentionem facit.

§. X.

*Anaglyphi* ſunt, qui *figuras habent elatiores*, quorum plerique *temporum Imperatorum* occurrunt.

§. XI.

Nummi *incuſi* ſunt, qui ex *uno latere* referunt *faciem elatiorem*, ex *altero* vero latere *concavi* ſunt, ac eandem faciem, ſed incuſam & excavatam exhibent, ex *errore* monetarii, *non* vero *ad oſtentationem artificii*, ut nonnulli *erronee* perhibent.

§. XII.

Nummi *confuſe efformati* ſunt, in quibus inſcriptio eadem cernitur duplicata, vel facies eadem eſt geminata: *ſignum* vero *ſunt negligentiæ cudentis*, qui marculum, repetita percuſſione, non eadem firmitate & accuratione poſuit.

§. XIII.

Nummi *ſciſſi* ſunt ii, qui in percuſſione ſunt *fracti*, ac ideo *rimis hiant*, qui quidem *inter antiquos* haud ultimo loco *æſtimandi* ſunt, modo in figura nullum ex ſciſſura ſit vitium; quoniam nullum fraude imbutum ingenium

eosdem, facinore celato, imitari
potuit.

§. XIV.

*Reſtituti* originem ſuam debent Imperatoribus, qui *nummos* ex ætate priori ob raritatem in *memoriam majorum fecerunt reſtitui*, quorum *nota ſunt literæ* REST. id eſt, *reſtituit*.

§. XV.

Nummi *conturniati*, ſeu *contorniati*, idiomate Germanico eingefaßte Müntzen, apud Græcos potiſſimum cuſi, & a nonnullis *Crotoniati* erronee dicti, *nomen* ſuum *habent ab antiqua voce conturnus*, i.e. *circulus circuitus*, (conf. du FRESNE in *Gloſſario latinitatis*,) quod convenit ſolis nummis illis, *quibus*, poſtquam percuſſi fuerunt, *ex metallo diverſo additus limbus* ſeu *circulus excavatus*, *tortili modo* eosdem *ambiens*.

§. XVI.

*Conturniatorum magnitudo* convenit cum nummis *ex ære magno*, & *metallum* eorum *plerumque* eſt *flavum*, *fabrica* vero valde *rudis*, & *barbara*, atque in omnibus *ſimilitudo* tanta obſervatur, ut omnes eodem tempore videantur eſſe conflati, iidemque nummis *eximiæ raritatis* ſunt annumerandi, ſpeciatim in *Germania rarius* occurrunt. Conf. A. MORELLUS in *ſpecimine* citato *p.* 43. & *ſeqq.*

§. XVII.

## §. XVII.

*Major* eorundem *pars* NERONIS & TRAJANI Impp. effigies habet impreſſas atque Imperatores *vix ultra* HONORIUM Imp. in illis ſignati reperiuntur: unde probabile eſt, conturniatos *dicto tempore* HONORII *cuſos fuiſſe* vel *ad* certæ rei *memoriam* conſervandam, vel *in uſum athletarum*, tanquam præmia victorum, non vero ut moneta forent. Conf. MORELLUS *l c p*.44. qui aliquot eorum figuras exhibet, & JOH. CHRISTOPH. OLEARII *Epiſtola de nummo* M. AUR. ANTONINI *conturniato*, inſerta *Electis rei nummariæ p*.112. *& ſeqq*. & ſeparate edita Jenæ 1696. q.

## §. XVIII.

Denique *bigati* & *quadrigati* ex argento optimo cuſi, *galeati, pileati, ſtellati, victoriati a figuris averſarum* partium ita dicuntur.

# CAPUT V.

## DE NUMISMATIBUS SECUNDUM TYPOS ET INSCRIPTIONES IN UTROQUE LATERE CONSIDERATIS, EORUM NUMERO, MODISQUE DIVERSIS CONFICIENDI ECTYPOS.

### §. I.

Quod ad nummos reſpectu *typorum* conſideratos attinet, *latera utraque* cum *inſcriptionibus* recte ſunt perpendenda.

### §. II.

Nummorum *latus primum* ſeu *antica facies* appellatur *prima frons*, vel *pars adverſa*, ſeu *obverſa*, Germanis die Haupt-Seite, Gallis *la tête*: *alterum* vero *latus* ſive *poſtica* vocatur *pars averſa*, & *reverſa*, Germanis die Rück-Seite, Gallis *le revers*.

### §. III.

*Prima frons* nummorum veterum *exhibet* plerumque *imagines* I. *Deorum, Dearumque*. II. *Heroum* ſeu illuſtrium virorum, atque Regum. III. *a temporibus* JUL. CÆSARIS *Imperatorum Romanorum, eorumque uxorum & liberorum* imagines in nummis præcipue apparent, imprimis

mis autem *æſtimantur, in* quorum *parte adverſa imagines plures* una reperiuntur, *& quo plures* in nummo una imagines exhibentur, eo *varior* idem, magisque *pretioſus* habendus eſt.

§. IV.

Quando *facies* in iisdem 1) *ſeſe invicem reſpiciunt*, vocantur *capita adverſa*, Gallis *têtes affrontées*, & Imperii ſocietatem vel æqualitatem indicant; quando 2) *cervices* ſibi ſunt *oppoſitæ*, dicuntur *capita averſa*, Gallis *adoſsées*, & inæqualitas denotatur; quando 3) *facies poſt ſe invicem in una ſerie* ſunt *collocatæ*, nominantur *capita jugata*, gallice *accollées*.

§. V.

Nummi, in quibus *ſola inſcriptio* legitur, *rarius* reperiuntur, & ſunt *Triumvirorum monetalium*. Conf. *C. I. §. XX.*

§. VI.

I. *Capita Deorum indicant* illorum *criteria* de quibus *infra §.* XVI. *& ſeqq.* ſpeciatim.

§. VII.

II. Capita *heroum* & *illuſtrium virorum nuda: Regum*, vero *capita* vel *aperta*, vel *laureata*, vel *cornuta*, vel *coronata*, vel *galeis, diadematibus, leonum exuviis, tiaris, mitris operta* exhibentur.

§. VIII.

III. Quod ſpeciatim concernit *Imperatorum capita*, eadem *diſtinguenda* ſunt

*ſecundum tempora*, & quidem capita I. *primorum Imperatorum*. II. *Imperatorum III. ſeculi*. III. *Imperatorum Chriſtianorum*.

§. IX.

I. *Imperatorum primorum capita* viſuntur vel *nuda* vel *laureata*. *Laureata originem* ſuam habent a JUL. CÆSARE: Vid. SUETONIUS *Libr. I. in vita Cæſaris Cap. XLV. de jure laureæ perpetuo geſtandæ*, & *Cap LXXIX.* item *Libr III. in Tiberio C. LXIX.* quem ſucceſſores ſecuti ſunt. Specialiter h. l. notandum 1 ) quod JUL. CÆSAR, cum adhuc licitum haud eſſet, caput ſuum ac nomen nummo imprimere, nummum argenteum celebrem fecit, dum *in uno latere* nummo impoſuit *elephantum cum dracone*, addito verbo: CAESAR, quod animal illud in lingua Punica ſignificat: in altero vero exhibuit *Pontificalia ſymbola: ſimpulum, aſpergillum, ſeceſpitam*, & *galerum*: 2.) OTHONIS caput cognoſcitur ex *galericulo*, ſeu capillo aſcititio, *capiti* propter raritatem capillorum *adaptato & annexo*. Vid. SUETONIUS in *Othone Libr. VII, Cap. XII.* 3.) NERO primus *barbatus* exhibetur. 4.) *Capitibus Imperatorum* poſt mortem, ob apotheoſin, impoſita cernitur *corona radiata* quæ in plures exſurgit apices, Deorum propria, & divinita-

tis

Imagines Deorum quales finxere antiqui, passim in iisdem nummis conspiciuntur, et a viris doctis qui nummos ediderunt illustrantur, quibus addi potest præter Gyraldum in Syntagmat. de Diis, Vincentii Chartarii Rhegiensis Imagines Deorum, Italice primum vulgatæ, Ven. 1571. atque Latine versæ ab Ant. Verderio et sub Panthei antiquorum titulo editæ Lugd. 1581. 4. recusæque Rotemburgi ad Tubarem 1683. 4. et hinc inde à Paulo Hachenbergio ut habet titulus illustratæ /: licet in libro ipso nihil reperio quod ad Hachenb. referre possim: / Frft. 1687. 4. Fabr. Bibl.

Guilielmus Choul sive Caulius /: latine Brassicanus a quibusdam dictus: / Nobilis Gallus iam ante 150. amplius an. lingua patria integrum systema Ant. Rom. complecti constituerat L. XII. ut ipse memorat p. 17. ed. Vesal. gall. libri de Religione Romana: sed nihil ab eius manu in hoc genere ad

tis ſymbolum: Conf. §. 51. *b*. *Cap*· quam tamen NERO *vivus* quoque uſurpavit.

§. X.

II. Circa ſeculi III. finem *diademata auro, gemmisque ornata* in nummis Imperatorum ſunt frequentiora; quibus primus uſus eſt AURELIANUS.

§. XI.

III. IMPERATORUM CHRISTIANORUM criterium eſt *corona clauſa* & *pomum Imperiale*, ſeu globus, cui inſiſtit *victoriola*, in cujus locum ſucceſſit *crucis* figura.

§. XII.

*Auguſtarum* vero, ſive uxorum Imperatorum, *capitis ornatus varius* eſt, cujus exemplum eximium præbet SABINA, uxor HADRIANI.

§. XIII.

*Averſam* ſeu *reverſam nummorum partem* porro quod concernit, in eadem *typi varii generis* exhibentur, qui omnes deſignari vix poſſunt, eosdemque *Prudentius* περὶ ϛεφάνων *hymno II. Ænigmata* eleganter appellat.

§. XIV.

*Frequentiores* ſunt *figuræ Deorum, Dearumque*, quæ ex *criteriis* Deorum dignoſcuntur: criteria vero illa *ſunt* vel *generalia*, & Diis veterum communia, vel *ſpecialia*, atque ſingulis propria.



Landesbibliothek Oldenburg

§. XV.

*Deorum gentilium* alii dicebantur I. *Conſentes*, alii II. *Selecti*, alii III. *Indigetes*, alii IV. *Peregrini*. Accedunt V. *Virtutes divinæ*, quas Romani *pro Diis* habebant.

§. XVI.

*Criteria* Deorum generalia ſunt, quod *Dii cornuti* & *haſtati cum patera; Deæ* vero *ſtolatæ*, *Venere excepta*, repræſentantur.

§. XVII.

*Specialia criteria* ſunt *figuræ diverſæ*, Diis, Deisque, ſingulatim ob officia diverſa aſſignatæ: cum vero *figuræ cuidam plures notæ* aſſignatæ reperiuntur, *Pantheon* appellatur.

§. XVIII.

I. *Præcipui XII. Dii*, quos Romani præ reliquis venerabantur, & qui *Dii Conſentes*, ſive *Concilium Deorum*, appellabantur, verſibus ſequentibus, comprehenduntur:

JUNO, VESTA, MINERVA, CERES,
DIANA, VENUS, MARS,
MERCURIUS, JOVIS, NEPTUN,
VULCANUS, APOLLO.

§. XIX.

Quod ad *ſpecialia criteria* horum *Deorum* in nummis attinet,

I. JUPITER, Præſes in Deorum gentilium collegio, Deus ter Optimus Maximus dictus, e *fulmine triſculo*, & *aquila ad pedes*,

nos peruenit præter librum eximium iam laudatum de religione veterum Rom. alterum de Rom. Castrametatione et disciplina militari, et tertium de balneis exercitiisque antiquorum Graecorum pariter ac Rom. qui tres libri variis figuris ex monumentis et numis antiquis illustrati extant Lugduni A. 1556. 1569. fol. primum Gallice, hinc Italice editi, et Hispanice A. 1579. et iunctim iterum gallice Vesaliæ A. 1652. 4. Belgice deinceps, et denique latine Amst. A. 1685. 4.

Laurentius Pignorius, Patavinus. Le vere et noue Imagini degli Dei delli antichi di Vicenzo Cartari, Reggiano, ridotte da capo a piedi in questa nouissima impressione alle loro reali, et non piu per l'adietro osseruate simiglianze cauate, d'a Marmi, Bronzi, Medaglie, Gioie et altre Memorie antiche con esquisito studio et particolare diligenza da Lorenzo Pignoria Padouano. Aggiontevi le Annotationi del medesimo sopra tutta l'opera et un discorso intorno le Deità delle Indie Orientali et Occidentali con le loro figure tratte da gl'originali, che si conseruano nelle Gallerie de Principi et ne' musei delle persone priuate. Con le allegorie sopra le imagini di Cesare Malfatti Padouano migliorate et accresciute nouamente. Patavii apud P. P. Tozzium anno 1615. in 4.

*pedes*, & JUPITER *Ammon e capite cornuto* cognoſcitur.

§. XX.

II. MERCURIUM, Deorum interpretem, *baculus Mercurialis*, in quo ſerpentes duo tortuoſi, *gallus & petaſus alatus*, paciferum *caduceum alatum & ramus olivæ*, atque mercatorum & furum præſidem *crumena* indicant.

§. XXI.

III. NEPTUNUS, maris dominus, notam perpetuam habet *tridentem* vel *delphinum*, vel *acroſtolium navis*, quod manu tenet, ac, ut ἱππικὸς ſeu equeſtris *equis* vehitur.

§. XXII.

IV. APOLLINIS, Poetarum & Doctorum præſidis, nota conſueta eſt *lyra*, ſive *cithara*, item *tripus aureus*, *gryphus*, & *pegaſus*; interdum, *ut Phœbus*, caput *lauro ornatum* gerit: *Pythius* quoque & *Palatinus* ſæpius appellatur.

§. XXIII.

V. MARS, belli & pacis arbiter, exhibetur *ſagatus*, *cum haſta*, *clypeo & parazonio*, *manu tenens*, vel *clypeum*, vel *tropæum*, quali figura ſiſtitur MARS *ultor*; porro *curru duobus equis vecto trahitur*, BELLONA *ſorore aurigante*, (*in gemmis*;) MARS denique *gradivus*, ob felices

lices belli progreſſus, *gradum profert, geſtans victorialem vel tropæum.*

§ XXIV.

VI. VULCANUS, ſeu VOLCANUS, fabrorum patronus, ſub cujus tutela ignis elementum fuit, cum ſuis Caberis, cognoſcitur *ex malleo & incude,* ejusdemque *caput barbatum* eſt, *cum petaſo laureato*, & *forcipe penes cervicem.*

§. XXV.

VII. JUNO, uxor JOVIS, inter Deas præcipua, mulierum & divitiarum Dea, ſignatur *throno inſidens*, *cum pavone* ad pedes, quandoque *ferulam manu tenens*, vel *ſtans cum haſta.* JUNO *Lanuvina* cognoſcitur *ex pelle caprina*, cum *inſcriptione:* I.S.M.R. *id eſt*, *Juno Soſpita Mater Regina.* JUNO *Lucina* dicta, quæ partubus præerat, colebatur inſtar DIANÆ, ſub ſpecie *lunæ falcatæ*; & hanc *rarius Auguſti*, *frequentius Auguſtæ*, *in nummis* expreſſerunt.

§. XXVI.

VIII. MINERVA, Græcorum PALLAS, ſapientiæ & prudentiæ Dea, plerumque *ſtolata*, notam habet *haſtam*, & *galeam contextam corona oleagina.* Eadem *ut pacifera ramum oleæ*, ipſi ſacræ, quoque tenet, atque *noctua*, Minervæ ſacra, *cornix* vel *draco* adjungitur.

§. XXVII.

§. XXVII.

IX. DIANA, ſeu DEANA, venationis & partus Dea, *venatrix, arcum in manu tenet, pharetra cum ſagittis in dorſo, luna dimidia in capite, cervus aut canis venaticus ante pedes* ſiſtitur: interdum quoque exhibetur *gradiens*, atque dextra *facem*, ſiniſtra *venabulum* præfert, vel *curru duobus cervis aut bubus juncto vehitur*. DIANÆ *Epheſiæ* nota ſingularis eſt, dum, quaſi altera natura, *multimamma cum verubus*, ut vulgo perhibent, *fulcris* potius *ſtatuæ* ob mammas multas valde ponderoſæ, *cervisque adſtantibus*, cernitur. DIANÆ *Lucinæ* eadem, quæ JUNONIS Lucinæ, eſt figura.

§ XXVIII.

X. VENUS, amoris & voluptatis Dea, raro *ſtolata*, plerumque *nuda vel ſeminuda, cum columba*, exhibetur, & quandoque *biga Cupidinum vehitur*; rarius vero apparet *armata, galeam manu præferens*. atque tum dicitur VENUS *victrix*.

§. XXIX.

XI. CERERIS, Deæ frugum, criterium eſt *ſtola, cum cornu copiæ* ſeu Amaltheæ, (quod tamen quoque gerunt Virtutes divinæ,) *face & ſpicis*: quando vero eadem *Proſerpinam filiam quærit, faces ambabus manibus tenet, atque ſerpentes currum trahunt*.

§. XXX.

XII. VESTA denique plerumque apparet *ſtolata, capite velato*, aut *cum igne ſacro*; ſæpius manu *geſtat vel facem*, *vel tropæum, ſimpulum, aut palladium*. Hæc autem VESTA ignis ſacri probe *diſtinguenda eſt a* VESTA *priſca*, quæ inter Deos ſelectos refertur. Conf. infra §. 38

ſ. XXXI.

*Claſſis ſecunda Deorum* eſt eorum, qui *Dii ſelecti* appellabantur, olim *Reges*, *vel viri illuſtres*, in Deorum poſtea numerum *cooptati*.

§. XXXII.

*Præcipuus* eorundem fuit

I. JANUS, Deus temporis præteriti & futuri, & pacis belliqne arbiter, qui *bifrons*, quondoque *quadrifrons* ſiſtitur.

§. XXXIII.

II. SATURNUS, tempori currenti & omnia conſumenti præerat, quem *habitus ſenilis alæ & falx* indicant; *in nummis* vero *varius* apparet.

§. XXXIV.

III. GENIUS eſt Deus ſpecialis & tutelaris creaturarum omnium, unde *Genius Populi Romani*, *Senatus*, *Exercitus*, *Provinciarum*, *Auguſti*, alii: criterium genii eſt, quod ſiſtitur *nudus* vel *ſeminudus*, *cum cornu copiæ*, *vel calatho in capite*, *manibus tenens ſimpulum vel pateram*.

§. XXXV.

§. XXXV.

IV. SOL, Deus Orientalium, apparet *nudus, cum capite radiato*, ejusdem criterio ſpeciali.

§. XXXVI.

V. LUNA, Deus, interdum quoque LUNUS Deus dictus eſt, ejusdemque ſignum eſt *luna creſcens pone humeros*, atque *in capite galerus Armeniacus*; ad pedes vero ſtat *gallus* gallinaceus.

§. XXXVII.

VI. BACCHUS, Jovis ex Semele filius, vini inventor, & liber pater dictus, cognoſcitur *ex thyrſo, corona hederacea, panthera, canthare & uva*; atque, ut Victor & *Dominator Orientis, in curru a leopardis vehitur.*

§. XXXVIII.

VII. VESTÆ *priſcæ*, ſeu CYBELES, Deæ Phrygiæ, Matris Deûm, probe diſtinguendæ a VESTA Populi Romani, nota eſt *caput turritum, adſtante leone ab utroque latere*; eadem quoque *throno inſidet, orbem manibus tenens.*

§. XXXIX.

*Deorum claſſis III.* eſt eorum, qui Indigetes vocabantur, *ob facta heroica inter Deos relati:* quales HERCULES, CASTOR & POLLUX, ÆSCULAPIUS, & filia SALUS, cum aſſecla ejusdem TELESPHORO.

§. XL.

§. XL.

I. HERCULES, eorundem *primus*, *ex clava & exuviis leonis* in humeris; HERCULES vero *Muſagetes ex lyra* dignoſcitur.

§. XLI.

II. CASTOR & POLLUX, Romanorum Dii tutelares in bello, apparent *nudi*, & *interdum galerati*, *cum clypeo & haſta*, *ſtantes*, vel *equis inſidentes*, *cum ſidere ſuo in capite*; eosdem interdum quoque indicat *prora navis cum eorum ſidere*.

§. XLII.

III. ÆSCULAPIUS, Medicinæ Deus, forma ſenili *cum baculo ſerpentibus intorto*, & IV. filia ejus SALUS, cum *patera & ſerpente libans*, atque V. aſſecla ejus TELESPHORUS *cum bardocucullo*, (ſimili cucullo monachorum,) exhibetur.

§. XLIII.

Quod ad *Deos* IV. *peregrinos* attinet, *eorum cultus* e terris peregrinis *Romam translatus*, quales ÆSCULAPIUS, SERAPIS, ISIS, ANUBIS, APIS, CANOPUS, HARPOCRATES, TERMINUS.

§. XLIV.

I. ÆSCULAPII notam §. XLII. exhibet. II. SERAPIS, Ægyptiorum Deus, ſiſtitur *forma ſenili cum calatho in capite*. III. ISIDIS, Deæ Ægyptiorum, *caput eſt turritum*, interdum *cornutum*, atque *in manu* tenet *ſiſtrum*.

§. XLV.

§. XLV.

IV. ANUBIS *ex capite canino* cognoſcitur. V. APIM ſignificat *bos vittatus*, VI. CANOPUS ſiſtitur *facie humana, cum loto in capite, collo attracto, ventre* in modum hydriæ *tumido*; qui omnes Dii ſunt Ægyptii.

§. XLVI.

VII. HARPOCRATIS, Dei ſilentii, nota perpetua eſt *digitus ori impoſitus*. VIII. TERMINUS, Deus ruſticus Romanorum, cujus tutelæ agrorum fines erant commiſſi, indicatur *facie humana, brachiis pedibusque abſciſſis*.

§. XLVII.

Quod V. concernit *Virtutes divinas*, quas Romani *pro* DIIS *habebant*, quales ABUNDANTIA & UBERTAS, ÆTERNITAS, ÆQUITAS, CLEMENTIA, CONCORDIA & FIDES, CONSTANTIA, FELICITAS, FORTUNA, HONOS, HILARITAS & LÆTITIA, LIBERTAS, PAX, PIETAS, PROVIDENTIA, PRUDENTIA, PUDICITIA, SAPIENTIA, SECURITAS, SPES, TRANQUILLITAS, VICTORIA, VIRTUS, eædem *ex ſymbolis ſeu ſignis ſuis* dignoſcuntur.

§. XLVIII.

Generale *Virtutum* ſignum eſt, quod apparent *cum cornu copiæ* ſeu Amaltheæ, & *habitu matronarum ſtolatarum*.

§. XLIX.

*Specialia virtutum* ſigna ſunt, quod

1. ABUN-

1. ABUNDANTIA & UBERTAS *cornu copiæ inverſum* gerit, omniſque generis *fructus & nummos effundit.* 2. ÆTERNITAS *ex velo expanſo* cognoſcitur. 3. ÆQUITAS cum *cornu copiæ ac libra* ſiſtitur, atque *ſerpentem & rotam ante pedes* habet. 4. CLEMENTIA *lauri vel olivæ ramum* tenet. 5. CONCORDIA & FIDES indicatur *duabus dextris junctis: militum* vero CONCORDIAM notat *femina ſtolata ſtans inter duo ſigna militaria.* 6. CONSTANTIA *haſtam & cornu copiæ tenet*, & *columnæ* interdum *innititur.* 7. FELICITAS ſymbolum habet *matronam cum cornu copiæ & caduceo.* 8. FIDEM *exercitus* repræſentant *milites, qui Ducem ſuum vel ſequuntur vel circumſtant.* 9. FORTUNA reperitur *cum temone, quandoque cubans in lectiſternio.* 10. HONOS *ſeminuda cum haſta & cornu copiæ*, 11. HILARITAS & LÆTITIA *cum ramis & ſertis*, 12. LIBERTAS *cum pilio*, rarius *capite nudo* pileum manu tenens, ſiſtitur.

§. L.

Porro 13. PACEM indicant *duæ dextræ conjunctæ, caduceus, & dua cornua copiæ*, rarius *templum Jani clauſum.* 14. PIETATEM notat *caput velatum ſacrificans*; eandem quoque indicant *ſigna pontificalia, adſtante ciconia*, vel *Æneas,*

*neas Anchiſem portans;* 15. PROVIDENTIAM *globus & ſpicæ,* quas manu tenet. 16. PRUDENTIAM ſymbola *plane ſimilia* indicant. 17 PUDICITIAM ſignificat figura *matronæ velatæ throno inſidentis, ſceptrumque manu tenentis, digito ori* applicato, & *columbas penes ſe* habentis. 18. SAPIENTIAM *noctua*, Palladis alias propria, indicat. 19. SECURITAS *ſedet, vel columnæ innititur*, interdum *laurum vel ramum olivæ præfert.* 20. SPEI ſymbolum eſt *lilium.* 21. TRANQUILLITAS *ſimili modo cum* SECURITATE, ſed *magis ſedata* apparet. 22. VICTORIA *alata* eſt, & aliquando trophæum coronans, aliquando alte volans, aliquando ſedens videtur, *ramum palmæ* aut *lauream*, aut *coronam*, tenens, quandoque *tropæum & caduceum ferens* : &, *ſi navalis* fuit victoria, VICTORIÆ *effigies roſtro navis* inſiſtit: ſub Imperatoribus vero Chriſtianis *laurum cum palma*, & *crucis ſignum gerit.* 23. VIRTUTIS demum figura apparet *habitu militari, cum galea, lorica & haſta, manu ſiniſtra clypeum humi poſitum ſuſtinens.*

§. LI.

At vero *in Deorum numerum Imperatores* quoque ſæpius *referebantur*, atque DII vel DIVI *appellabantur*, quod quidem *certo ritu* atque ſolennitate conſtabat,

& Ἀποθέωσις ſive CONSECRATIO appellabatur: poſt conſecrationem autem *imagini imperatoris additus titulus* DIVI, reliquis titulis omiſſis, e. g. D. AUG VESPAS. quod in DIVI titulo humani omnes tituli continerentur.

§. LII.

*Conſecrationem* hanc deſignant nummi *cum aquila*, vel *globo ſtellato, cui Imperator inſidet*, vel *cum ara, in qua ignis accenſus*, vel *cum rogo conſecrationis* : *Auguſtarum* vero *conſecrationem* indicat tum *pavo*, vel *ſola cum cauda expanſa*, vel *animam Auguſtæ ad cælum vehens*, tum *thenſa*, *equorum, leonum, aut elephantum biga vecta*: *interdum* tamen *Auguſtorum quoque* conſecrationem denotans.

§. LIII.

Præterea ſæpius laudantur in nummis *virtutes Imperatorum*, ÆQUITAS, FELICITAS, FORTUNA, INDULGENTIA, LIBERALITAS, PIETAS, & aliæ, quæ *habitu conſueto* exhibentur, nomine virtutis addita voce AUGUSTI, vel AUGUSTA: *Græci* vero *Imperatorum nummi*, illorum capitibus & Græca epigraphe inſigniti, præter peculiares expreſſiones, quoque exhibent quæcunque in Latinis Romanorum nummis honori Imperatorum tributa, e. g. Δικαιοσύνη, Ἐλπὶς, Εὐτυχία, Πρόνοια, & ſimiles virtutes.

§. LIV.

## §. LIV.

Specialiter ſæpius occurrit in nummis I. *Imperatorum* LIBERALITAS, cujus ſymbolum eſt *matrona ſtolata, cum cornu copiæ, ac teſſera frumentaria*: interdum vero *Imperator* ipſe, *vel eques, vel in ſella curuli*, *congiaria diſtribuens* exhibetur. II. *Auguſtarum* CONCORDIA, FOECUNDITAS, PIETAS, PUDICITIA ſæpius prædicatur. III. *Principes Juventutis*, dicti NOBILISSIMI CÆSARES, ſiſtuntur, *inſidentes equis, capite vel nudo vel galeato*, *&* PROPAGO IMPERII, SOL ORIENS, SPES AVGVSTA, & VIRTVS AVGVSTI appellantur.

## §. LV.

IV. *Imperatoribus* porro *provinciæ*, tanquam *Reſtauratoribus ſuis* e.g. RESTAVRATORI GALLIÆ, ſæpius *applaudebant*, atque *in eorum adventum* nummos cudi faciebant, in quibus *Imperator equo inſidens*, vel *provincia in genua procumbens*, vel *inſignia provinciarum* exhibentur, cum inſcriptione: ADVENTVI AUGVSTI.

## §. LVI.

V. *Auguſtorum profectiones milites*, vel terra vel navi *Imperatorem ſuum ſequentes*, repræſentant, inſcriptio eſt: PROFECTIO AVGVSTTI. TRAIECTVS AVG. VI. In nummis maximi moduli ADLOCVTIO AVGVSTI, ſeu alloquium Imperatorum ex loco editiori ad milites ſuos ante

prælium, ut eos ad virtutem incitarent occurrit. VII. *Victorias* indicant *figuræ alatæ*, vel *tropæa:* imo etiam *alia eximia facta & ſolennia* e. g. *ludorum Circenſium, ludorum ſecularium, naumachiarum, palatiorum exſtructorum , venationum* interdum in nummis expreſſa.

§. LVII.

VIII. *Speciem ſingularem* conſtituunt *nummi votivi,* cuſi *in memoriam votorum publicorum* pro ſalute Imperatoris *ſuſceptorum :* hinc occurrunt VOTA QUINQUENNALIA, DECENNALIA, VICENNALIA, TRICENNALIA : repræſentantur autem vel *in corona*, vel *in ara* , vel *per Imperatorem ſacra facientem*, vel *per Victoriam clypeo inſcribentem:* atque inſcriptiones leguntur: VOTIS DECENNALIBVS: vel VOT. X. MVLT. XX. vel : SIC X. SIC XX. item : SIC XX. SIC XXX. unde dicta ſunt *vota multiplicata.*

§. LVIII.

IX. *Spectacula* apud Græcos frequentiſſima, quorum notiora, ISTHMIA, PYTHIA, NEMEA, certisque ſolennibus conſtantia, *urnæ cum lauro & palmis* repræſentant. Quando vero ludi *a populis pluribus ſimul celebrabantur*, ii, quibus *præſidibus* cura ludorum incumbebat, dicebantur *Neocori*: hinc legitur in nummis ΔΙϹ. ΤΡΙϹ. ΤΕΤΡΑΚΙϹ. ΝΕΩΚΟ-

ΡΟΝ.

PON. Conf. MORELLI *Specimen p* 37. *&* *ſeqq.* & HUMPHRID. PRIDEAUX *Marmora Oxonienſia p.* 97. *& ſeqq.*

§. LIX.

X. Nummi reperiuntur *in honorem exercitus provinciarum* cuſi, qui dignoſcuntur *ex ſignis ſuis militaribus*, quæ ſunt *aquilæ, delphini, dracones, manus*, & poſterioribus temporibus *labara: per coronas* etiam ſæpius *facta militaria* egregia indicantur.

§. LX.

XI. *Typi* nummorum quoque *varias* exhibent *antiquitates & conſuetudines Romanorum*: ſic, *in gente Junia*, *Brutus cum lictoribus*; *in gente Licinia*, *apex ſacerdotalis & Martis ancilia*; *in gente Tituria*, *raptus fœminarum Sabinarum*; *in gente Caſſia & Licinia*, *Romanorum pontes votorum*, & *urnæ comitiorum*, *arcus triumphales*, *ſellæ curules* repræſentantur: ſpeciatim *lupa lactans Romulum & Remum* ſignum eſt jure civitatis Romanæ gaudentium, & indicat originem Romanorum.

§. LXI.

XII. *Imperatores Chriſtiani* plerumque gerunt *labarum*, ſignum militare, cum CONSTANTINI M. Imperatoris, quale eidem & de die & dormienti apparuerat, ſigno, X & P. compoſito, α & ω addi-

to, teſte EUSEBIO *in vita* CONSTANTI-NI M. *Libr.* I. *Cap.* XXVIII. *&* XXIX. atque SOCRATES *Hiſtor. Eccleſ. Libr.* I. *Cap.* III. nimirum ſigno



§. LXII.

XIII. In eorundem nummis ſæpe exhibetur *Victoria*, vel *Imperator inter ſigna militaria*, vel *proculcans captivum*, cum inſcriptione: FELICITATIS TEMPORVM REPARATIO. GLORIA ROMANORVM. VICTORIA ROMANORVM.

§. LXIII.

XIV. *Nummi Provinciarum* exhibent ſæpius *imagines Deorum, & virorum illuſtrium*, interdum quoque *Imperatorum* & *Auguſtarum.* Speciatim in ÆGYPTIORUM *nummis* ſiſtitur ISIS, SERAPIS, CANOPUS, *ſiſtrum & crocodilus*; AFRICÆ nota eſt *proboſcis*, *ſcorpio & leo*; ARABIÆ *cameli*, ſymbolum ſunt, HISPANIÆ *ramus olivæ & culiculi*; MAURITANIÆ *equi*; PHOENICIÆ *Aſtarte*, Dea Phœniciæ peculiaris, *cum lauro* vel *palmæ ramis.*

§. LXIV.

XV. *Coloniarum Romanarum* nota eſt vel *generalis* vel *ſpecialis*. *Generalis* coloniarum *typus* eſt *colonus agens jugum boum*: ſæpius etiam coloniæ *in honorem*

*Impe-*

*Imperatorum*, qui eas aut duxerant, aut reſtauraverant, CÆSAREÆ, AUGUSTÆ, ÆLIÆ, FLAVIÆ, ULPIÆ, & ſic porro ab aliis Imperatoribus, *appellabantur*; atque coloniæ quoque *ſecundum provincias cognomine* diſtinguebantur. *Specialia coloniarum ſigna* quod concernit. 1) BERYTII figura *Bacchi*, 2) BYZANTINI *piſcium*, 3) CORINTHII *Pegaſi, delphini, Bellerophontis cum ſerpente pugnantis*, 4) CRETENSES & SIDONII figura *Jovis ſub forma bovis Europam rapientis*, 5) EPHESII *Dianæ multimammiæ*; 6) RHODII figura *ſolis* & *balauſtii*, 7) TYRII *conchæ purpureæ* & *ſatyri* nummos ſuos ſignabant.

## §. LXV.

XVI. Quod ad *inſcriptiones* attinet, tempora diverſa probe ſunt diſtinguenda. *Familiarum* nummi ſolum *nomen illius magiſtratus*, qui *ex conceſſione* ſenatus nummos cudi fecit, exhibent: in *Imperatorum* vero nummis circa imaginem *nominibus* ſubjecti leguntur eorundem illuſtriores *tituli* & *dignitates*, quales ſunt: IMPERATOR, CÆSAR, AUGUSTUS, CONSUL, CENSOR, PONTIFEX MAXIMUS, TRIBUNITIÆ POTESTATIS, DICTATOR, PATER PATRIÆ, PIUS FELIX AUGUSTUS: qui quidem tituli literis initialibus in nummis h.m. exprimuntur: IMP. CAES. AVG. COS. CENS. P. M. vel PONT. MAX. TR. P. DICT. P. P.

P. F. AVG. Imo additur etiam interdum *nomen provinciæ* ab Imperatore expugnatæ, atque *quoties magiſtratum quemvis* Imperator geſſerit, e. g. COS. VIII. TR. P. XV. In Græcis vero inſcriptionibus legitur titulus: AYT. K. CEB. i. e. Ἀυτοκράτωρ Καῖσαρ σεβαςός.

§. LXVI.

*Inſcriptiones* etiam *averſarum figuris reſpondent*: interdum tamen earum inſcriptiones quoque exhibent *titulos & dignitates Imperatorum*, præcipue quando titulus integer in adverſa exprimi non potuit. Conf. de frequentioribus nummorum Romm. *inſcriptionibus* PATINUS *hiſtor.* cit. *Cap. XXII.*

§. LXVII.

Quod ad ordinem, quo inſcriptiones exhibentur, attinet, notandum, quod *ordo* plerumque & naturaliter *a ſiniſtra ad dextram* vadit: attamen nummi quidam Conſulares & duodecim priorum Imperatorum titulum *a dextra ad ſiniſtram* circumſcriptum habent; in quibusdam quoque *dimidia* inſcriptionis *pars a dextra ad ſiniſtram*, & *altera a ſiniſtra ad dextram* tendit.

§. LXVIII.

XVII. *Numeri* in nummis notant annos vel regiminis vel ætatis Imperatoriæ: nec raro etiam *numeri ex literis* conſiſtunt:

ſiſtunt; interdum vero literæ quoque ſunt *ſigna monetariorum.*

§. LXIX.

XVIII. *Subſcriptiones*, quæ in nummis aureis & æneis *tempore* CONSTANTINORUM occurrunt, *diverſiſſime explicantur*, deque iisdem magna inter ſcriptores rei numiſmatiæ *eſt controverſia:* at vero *maxime veriſimile* eſt, *ſubſcriptiones* illas *notare locum monetæ cuſæ*, ſeu urbes monetarias, *Lugdunum, Conſtantinopolin, Siſciam, Antiochiam, Alexandriam*, aliasque; ita quidem, ut

P. LVGD. notet *pecunia Lugdunenſis*,
LVGD. OFF. S. *Lugdunenſis officina ſignavit*,
LVGD. S. M *Lugduni ſignata moneta*,
P. TR. *pecunia Trevirenſis*,
R. P. *Romana pecunia*,
SIS. P. vel SISC. P. *Siſciæ percuſſum*,
T. P. *Treviris percuſſum:*

*Officina* quoque *interdum* additur, ut
SISC. P. litera Græca Z. addita, id eſt, *Siſciæ percuſſum in officina ſeptima*,
CON. OB. *Conſtantinopoli officina ſecunda*,
S. L. B. *Signatum Lugduni in officina ſecunda*,
AN. B. *Antiochiæ officina ſecunda.*

Quod quidem *confirmat* & illud, quod *integrum nomen urbis* quoque *in ſubſcriptionibus expreſſum* interdum legitur,

 e. g.

e.g. in nummo ANTONINI: LVGDVNVM, in nummis *Græcorum*: ANTIOCHIA.

§. LXX.

*Recentiorum numiſmatum typi* ſunt *prorſus diverſi*, atque *inſcriptiones* eorundem ad *certas regulas non poſſunt reduci: integras* enim *hiſtorias ſæpius* continent, iisdemque tantum prope cognitis rite illuſtrantur: attamen *antiquitatum* quoque *interdum imitantur*. De *autoribus* vero, *qui numiſmata recentiora illuſtrarunt*, videantur ſupra *notata Capite II. §. XV—XVII.*

§. LXXI.

De *numero numiſmatum antiquorum*, quæ *typo differunt*, adhuc notandum, quod *idem a* CAR. PATINO *ſeptem millibus* definitur; WOLFG. LAZIUS numerum nimium *ad ſeptuaginta millia* extendit, quæ in lucem ſe editurum promiſit; uti refert P. IOBERT *ſcientiæ numiſmaticæ (edit. German.)* p. 36. ANDR. vero MORELLUS *quinquaginta millia numerat*; quæ *ſententia* reliquis eſt *præferenda.*

§. LXXII.

*Modos* varios conficiendi ectypos nummorum veterum, ex *ichthyocolla, gypſo, lamina ſtannea*, ſeu folio ſtanni Anglicani, *cera* in maſſa farinaria, & *charta craſſa* Regia, in prælectionibus ſubjungam.

CA-

Landesbibliothek Oldenburg

# CAPUT VI.

## DE NUMMORUM RARITATE MEMORABILIA GENERALIA ET SPECIALIORA.

§. I.

Quod ad *raritatem* nummorum veterum attinet, iidem, ut docet JCtus *l.*28.*ff. de uſufructu*, ſunt *gemmarum* inſtar, hinc mirum non eſt, quod earum quoque induunt naturam, atque antiquarii, æquitate niſi, nummis rariſſimis, cujuscunque ſint æſtimationis, pretium juſtum 50. thalerorum conſtituunt. Quamvis vero *doctrina raritatis nummorum* ſub regulam certam, redigi non poſſit, memoratu tamen præcipue digna videntur ſequentia: I. Nummi antiqui reſpectu *raritatis dividi* ſolent in *unicos*, inventu *rariſſimos*, & *raros*, demum *obvios*.

§. II.

II. Numiſmata *maximi moduli*, ſeu medalliones, cariores & rariores ſunt reliquis omnibus: differunt tamen inter ſe, quia *aurei & argentei* ſunt rariſſimi.

§. III.

III. Nummi *aurei Conſulares* ſunt *rariſſimi*: *rariores* etiam *aurei quorundam Impe-*

*Imperatorum:* aurei vero *maximæ formæ raritatis* ſunt prorſus *eximiæ.*

§. IV.

IV. Nummi *æneï in alto Imperio*, ſpeciatim e ſeculo I. poſt C. N. *rariores* ſunt, quam aurei & argentei, *in baſſo* e contrario Imperio *ænei* ſunt *frequentiores*, *aurei* vero & *argentei* rariores.

§. V.

V. Nummi *ex ære magno & medio frequentius in alto Imperio*, *in baſſo* vero Imperio *rarius* reperiuntur.

§. VI.

VI. Nummi *familiarum & coloniarum*, quorum *pauci* ſunt *cuſi*, *pauci* etiam *conſervati*, *reliquis* ſunt *rariores* : *Reſtituti* ſpeciatim valde rari ſunt, &, ſi reſtitutus rarus eſt nummus, *ad quem* idem *reſtitutus* eſt, eo rarior eſt.

§. VII.

VII. Nummi *plures facies in prima fronte* exhibentes ſunt rariores, & *quo plures una* in iisdem reperiuntur, *eo* ſunt *rariores.*

§. VIII.

VIII. *Typus* numiſmatis *ex auro ſæpe* eſt *rarus*, aſt *ex argento obvius.*

§. IX.

IX. Nummi *quidam rari* non ſunt ob primam frontem, rari *ob partem averſam:* atque huc pertinent imprimis nummi

nummi in quorum averſa *eximia* Imperatorum *facta* & *ſolennia* expreſſa, aliis multo *rariores*, *ob multas* præcipue in averſis *figuras*.

§. X.

X. Nummi *quidam ſæpius inter rariores referuntur in Gallia & Italia*, qui *tamen* in *Germania* frequentius occurrunt.

§. XI.

XI. *Nummi unici*, omnium rariſſimi, ita dicuntur, quod *in uno* tantum *vel altero nummophylacio* inveniuntur, iisdemque ideo certum aliquod pretium non poteſt conſtitui: qualis habetur nummus, OTHONIS Imp. ex ære *maximi moduli*, de cujus exiſtentia olim fuit dubitatum; nummus PESCENNII Imp. *argenteus maximi moduli*; & nummus *maximi moduli aureus* CONSTANTINI Imp. Conf. RINCKIUS *de vet. num. pot. p.* 182. *ſq.*

§. XII.

XII. Poſt nummos *Jani ratitos æneos*; argentei enim prorſus ſunt ſuſpecti, aut ſequiori ævo confecti; (Conf. Cap. I. §. VII) *inter Conſulares rariſſimis* annumerantur.

1) *Denarius gentis Horatiæ*, a TRAJANO reſtitutus, cujus pars *adverſa caput urbis Romæ* alatum. & nomen COCLES, & pars *averſa Caſtorem & Pollucem* equis inſidentes & lancea armatos repræſentat.

2) *De*,

2) *Denarius gentis Juniæ*, in cujus typo averſo *pileus inter duos pugiones*, & *inſcriptio*: AID.MAR. ſive Idibus Martiis.
3) *Denarius gentis Mariæ*, *cum inſcriptione*: C. MARIVS PROIIIVIR.
4) *Denarius gentis Pompejæ*, in quo POMPEJI *caput cum corona civica*, & *inſcriptio*: MAG. PIVS IMP. id eſt, *Magnus Pius Imperator*.

§. XIII.

XIII. Inter nummos *Imperatorios* quoque 1) *rariſſimus* habetur CÆSAR Dictator ex *auro*, nec minus inter rariores refertur *ex ære parvo*, & *argenteus* cum elephante & inſcriptione: CAESAR, in averſa vero ſignis Pontificalibus. Magni etiam 2) hodie æſtimantur nummi OTHONIS, qui vel *inſcriptiones latinas*, vel *literas* SC. corona laurea cinctas exhibent. 3) PERTINACIS quoque, DIDII JULIANI, PESCENNII NIGRI, GORDIANI Patris & Filii, ÆMILIANI & TETRICI *nummi* & ænei & argentei *rarioribus* annumerari ſolent. Plura hoc de argumento exhibet EUCHAR. GOTTLIEB RINCKIUS in tractatu *de veteris numiſmatis potentia & qualitate*, atque JOH. FOY VAILLANT in *Numiſmatibus Impp. Romm. præſtantioribus* & in *Ectypis rariorum numiſmatum*. De *conturniatorum* vero raritate conf. Cap. IV. §. XVI.

§. XIV.

§. XIV.

XIV. *Bracteati* nummi I. *majores*, & magnitudine thaleris hodiernis ſimiles, II. in quibus *inſcriptiones* notabiles repeRiuntur, III. *imagines* plures exhibentur, & qui IV. *probe conſervati* ſunt, præcipue æſtimantur, & pretioſioribus annumerantur. Imo & V. *bracteati ænei majores* ſunt rariores, quam argentei.

§. XV.

XV. *Recentiora* porro inter numiſmata *multa rarioribus* ſunt annumeranda, imo *nonnulla eximiæ* ſunt *raritatis*, qualia ſunt præcipue memoranda:

I. Thalerus antiquiſſimus SIGISMUNDI, Archiducis Auſtriæ, cuſus Ao. MCCCCLXXXIV. de quo conf. Cap. II. §. XIV.

II. Numiſma, cujus pars adverſa exhibet effigiem JOH. HUSSI, ejusque nomen IOA. HVS, & inſcriptionem: CREDO. VNAM. ESSE. ECCLESIAM. SANC. CATOLI: in averſa ſiſtitur HUSSUS in rogo, cum literis: JO. H. A. NA. CHRO. NA. 1415. CŌ--NATVR. & inſcriptio: CĒTV̄. REVOLVTIS. ANIS. DEO. REDDET. RANE. E. MI. Idem tamen diſtinguendum a *Magdeburgenſi thalero* Jubileo anno 1617. cuſo.

III. Thalerus, in cujus prima fronte cernitur effigies D. LUTHERI, & verba: MA. LVT. ECS. WIT. atque inſcriptio:

os

OS ET SAPIENCIA DABO VOBIS CVI. NO POTERIT CONTRADICERE: in averſa parte inſignia LUTHERI, & inſcriptio: IN SILENTIO ET SPE ERIT FORTITVDO VESTRA. 1533.

IV. Thaleri *Anabaptiſtarum*, dicti Johann von Leiden Thaler, & Thom. *Münzeri* thaleri II. forma & inſcriptione ſibi fere reſpondentes, cum inſcriptione: EIN. GODT. EIN. GELOVE. EIN. DOEPE. THO MUNSTER (ſive Monaſterii) 1534.

V. Thalerus cuſus tempore libelli *Interim* publicati, vulgo der Interims-Thaler, in cujus prima fronte baptiſmus Chriſti exhibetur, & inſcriptio: DIT. IS. MIN. LEVE. SON. DEN. S. GI. HO. in averſa vero Chriſtus, & diabolus draco triceps, cum inſcriptione: PACKE. DI. SATHAN. DU. INTERIM.

